

GEORGII FABRICII AD ANDREAM FRATREM EPISTOLAE

ex autographis primum editae

ab Hermanno Peter.

Pietatis Afranae esse duxi, posteaquam tandem hae epistolae Georgii Fabricii ad Andream fratrem scriptae huc peruenerunt, ne denuo suis latebris abditae delitescerent cauere. nam quamquam ex eis non ita multa ad res huius scholae illustrandas aut ad memoriam illius aetatis amplificandam certiusue confirmandam redundant, tamen tam expressa ex eis eminet summi illius uiri, a quo etiam nunc hanc Afranam constitutionem atque ordinationem gratis animis repetimus, imago et species, ut et ipse summo cum studio et amore in ea contemplanda uersatus et etiam ceteros, qui eius epistolas nunc apud me legant, idem aliqua ex parte sensuros esse sperare mihi uisus sim: tanta fuit in illo fiducia dei, qua et omnia sua ad hoc praesidium referre eosque, quorum salus ei cara esset, idem iubere soleret; tanta constantia et confessionis euangelicae et, cum in sua ecclesia ab omnibus contentionibus discordiisque abhorreret (ep. 73), odii papistarum hypocritarumque; tanta pietas in suos, qua cum ipse uita abstinentissimus esset, nec sumptibus aut operae nec patientiae parceret, ut non solum parentibus matura morte ereptis fratres minores natu apud se aleret, erudiret, conformaret, sed etiam sororis filios, cum a patre ei negligi uiderentur, aut in suam domum traduceret aut fratribus interea adultis commendaret; tanta comitas in omnes pueros, qua quid cuiusque proprium esset, beneuole circumspiciendum animumque ad imbecillis aetatis captum placabiliter humaniterque accommodandum esse doceret (ep. 19, 20, 21), tanta liberalitas in ceteros uiros doctos, qua suae laudis incuriosus id unum ageret, ut litterae promouerentur; tanta litterarum et studiorum uarietas et doctrina, qua res uel diuersissimas complecteretur; tanta animi adsiuitas et diligentia, ingenii ubertas et fecunditas, qua et molem illam librorum maximam partem laboriosissimorum in grauissima muneris sui occupatione scriberet, et carminum, cum uitae molestiis saepe obrueretur, largissimam copiam effunderet; tanta latinitas, qua Ciceronem non imitaretur, sed quidquid in mentem ueniret, ore uere Romano eloqueretur. Haec autem lineamenta cum et optime inter se conuenirent omniaque ad idem spectarent et ad speciem illam explendam suum quodque conferrent, etiamsi multae epistolae, si per se ipsas consideraueris, admodum tenues typhothetaeque opera uix esse dignae uidentur, tamen quasdam subtrahere aut mutilare aut abbreviare nolui.

Missae uero sunt ad Andream fratrem, qui die 25. mensis Ianuarii a. 1530 Chemnicii natus, postquam initio ludum patrum sub Iacobo Hertelio florentem, ab anno 1545 Fribergensem Valentino Apelle et Hieronymo Vuellero theologo magistris, M. Valentino Grauius, uiro senatorii ordinis, hospite usus frequentauit, die 12. mensis Iulii a. 1546 a fratre in scholam Afranam receptus per quinquennium fere hic mansit, tum Vitenbergam in academiam migravit. a quo tempore quae multae ad eum a Georgio scriptae sunt epistolae,¹⁾ ut facilius intellegerentur, capita uitae Andreae hic breuiter recensere placuit, qua quidem in re ut in omnibus Northusanis paene toti ab Ernesti Guntheri Foerstemanni conrectoris quondam

¹⁾ Desinunt omnino eo anno, quo Andreas Northusa discedere coactus est, sed etiam earum, quae ante id tempus scriptae sunt, nonnullae intereiderunt.

gymnasii Northusani, docta diligentia pendemus¹⁾. sunt enim eius scripta, quae huc pertinent, haec: 'Mittheilungen zu einer Geschichte der Schulen in Nordhausen' (1824); 'Epistolarum ad M. Andream Fabricium Chemnicensem particula' (Progr. gymn. a. 1839); 'Kleine Schriften zur Geschichte der Stadt Nordhausen I' (1855). praeterea quaedam debemus libello cuidam, qui sic inscribitur: 'Oratio de uita et sorte reuerendi uiri, pietate, eruditione, et uirtute praestantis, D. M. Andreae Fabricii, in aede D. Nicolai, Islebii, quondam Pastoris uigilantissimi et optime meriti: Habita in Schola Islebiensi a M. Conrado Porta, Pastore ad DD. Petrum et Paulum' (Vitaeburgae MDLXXXIII). nam et Porta ipse muneris familiaritatisque consuetudine cum Andrea fuerat coniunctus et ad Michaellem Neandrum, rectorem illum clarissimum Ilfeldensem, quo nemo illi fuerat amior, misit, ut ea, quae ex uerborum faragine et abundantia eruantur, omni fide digna sint.

- A. 1551 igitur mense Aprili Vitenbergam uenit, ubi M. Erasmum Reinholdum, professorem mathematicae, hospitem nactus (V. Günther, Allg. D. Biogr. XXVIII, p. 77—79) eius filium Casparemque Ratzenbergium litteris instruxit.²⁾
- A. 1552 cum pestilentia orta academia Torgam translata esset Reinholdiusque Salfeldiam cum uxore liberisque ad parentes se contulisset, ubi insequenti anno (d. 19. Febr.) mortuus est, Andreas die 24. m. Iunii Northusam in domum Michaelis Meienburgi, consulis, uiri egregii, de instauratione fidei optime meriti, qui anno proximo superiore cum Melanthonem Georgium uiserat,³⁾ ut Michaellem filium erudiret, uenit, a M. Philippo patrono sic commendatus: 'Homo ualde modestus est et scribit erudite solutam orationem et carmen. est pauciloquus, sed hoc melius est, quam si in alteram partem peccaret. quamquam uestra comitate poterit excitari. (Corp. Ref. VII p. 1015) et postea (ad rectoratum l. s. VIII p. 264). 'Vir modestus est et non rixosus nec polypragmonicus.' Cf. etiam VIII p. 242.
- A. 1553 cum Michaelle Meienburgio Vitenbergam redit Melanthonisque hospitio recipitur (d. 19. Mart.).
- A. 1554 d. 5. m. April. Northusae munus rectoris capessit; d. 31. m. Iulii Vitenbergae magna cum laude a Caspare Peucero Magister artium et philosophiae primo loco renuntiatur.
- A. 1557 m. Febr. Vrsula, filia Andreae Ernesti patricii Northusani, uiri grauissimi itemque de emendanda fide meritissimi, qui pastore munere et in patria et Quedlinburgi (ubi d. 24. m. Sept. 1565 ex pestilentia mortuus est, uid. Förstemann, Kl. Schr. I p. 31 sq.⁴⁾) functus est, ei despondetur et d. 17. m. Iulii in matrimonium ducitur, postquam m. Aprili Adamus Siberus frustra cum Grimam in scholam euocare conatus est.
- A. 1560 d. 11. m. Apr. diaconatum ad St. Nicolai cum rectoratu coniungit et a theologis Ienensibus d. 28. m. Apr. ordinatur.
- A. 1562 in diaconatum St. Petri transit.
- A. 1564 d. 26. m. Martii in pastorem eiusdem ecclesiae inducitur rectoratumque d. 26. m. Apr. deponit.
- A. 1568 d. 8. m. Iulii controuersiis de synergia uoluntatis humanae ortis Augusti Electoris iussu ei hoc munus abrogatur, sed paulo post (die 5. m. Sept.) Islebiam in pastorem S. Nicolai aduocatus, ubi
- A. 1577 d. 26. m. Oct. pestilentia correptus mortuus est.


De ceteris Fabriciis quae ad has epistulas intellegendas pertineant, ex hoc stemmate facile adparebunt, quod diligentissime idem Foerstemannus depinxit (Kl. Schr. Ip. 34—38):

1) Similis laus de uiris quondam Afranis A. H. Kreyssigio ('Afraner-Album') debetur.

2) In Indice academiae Vitebergensis Foerstemanniano p. 256 cum a. 1550 die 4. mensis Iunii intitulatum esse extare me non fugit. sedem tamen anno insequenti demum cum in academia posuisse et indice Afranorum (Kreyssig p. 8) et Portae oratione Gg 2 et epistola Georgii 2 confirmatur. uid. etiam Foerstemanni Kl. Schr. p. 30 fg.

3) V. Förstemann Mittheil. p. 32. Kl. Schr. I p. 53—57.

4) Georgius Fabr. librum IV et V Hymnorum ei dedicare uoluerat, sed morte impeditus est, uid. epist. nuncup. in fin.



Omissis igitur ex magna familiarum fecunditate eis, quorum mentio in his litteris non fieret, stemma usque ad eum deduxi, cuius pietati et diligentiae eas debemus. anno enim 1610 M. Georgius Andreas Fabricius uno uolumine eas comprehendit, quae annis 1547—1577 ad Andream auum missae usque ad eius aetatem autographae peruenerant, inscripsitque in primo folio r. ita: TOMUS PRIMUS EPISTOLARUM IN QUO EPISTOLAE GEORGII IACOBI BLASII FABRICIORUM CHEMNICENS. ITEMQUE ALIORUM PRAE-
STANTIORUM ET DOCTORUM VIRO-
RUM (quorum nomina sequens pagina ostendet:) AD M. ANDREAM FABRICIUM CHEMNIC. congestus a M. Georgio-Andrea Fabricio Herzbergensi scholae Oldenburgensis Rectore Anno 1610. Quas epistolas alter tomus complexus sit, nescimus, neque enim ulla eius notitia seruata est, 'primus' priore parte nunc continet centum Georgii (in eis etiam unam ad Iacobum, alteram ad Blasium) annis 1548—1567 maximam partem Misena scriptas, Iacobi centum et quadraginta, Blasii viginti et quinque (in eis etiam unam a. 1586 ad Theodosium Andreae filium). sequebantur ceterorum uirorum epistolae, de quibus quod quinquaginta et quattuor (id enim ex numeris cognoscitur) furtim reuulsae sunt, maximo opere dolendum est. nam quorum fuerint, hic index testatur, quem Georgius Andreas in altero folio praemisit, in quo ea nomina asterisco notauimus, quorum litterae supersunt, numerumque epistularum ex Foerstemanno (Progr. p. 3 sq.) adiecimus:

Adamus Siberus.
 *Andreas Gleichmann 1.
 *Andreas Otho 3.
 *Andreas Wacker 1.
 *Andreas de Werter 1.
 Basilius Faber.
 *Caspas Naevius 2.
 *Christophorus Caesar 8.
 Christophorus Irenaeus.
 *Cyriacus Spangenberg 3.
 Ernestus Comes et Dominus
 in Mansfeldt.
 *Georgius Trepta (*a rec. m.*) 16.
 *Georgius Autumnus 8.
 Georgius Wesch.
 Gigas.
 Hans Trepta (*a rec. m.*) 1.
 Hans Albrecht Graff zu
 Mansfeldt.
 *Hans Thomas 1.

*Henricus Schirnerus 1.
 *Henricus Siberus 1.
 *Hertelius 1.
 Hieronymus Osius.
 *Hieronymus Mencilus.
 *Hieronymus Peristerius 4.
 Hiobus Madeburgius.
 *Johst Ernst Senior 3.
 Iohannes Flinner.
 *Iohannes Lapaeus 6.
 *Iohannes Leuchamerus 1.
 *Iohann. Mylius 2.
 *Ιωάννης ὁ μέλλιος 1.
 Iohannes Pontanus.
 *Iohannes Schelhammerus 2.
 *Iohannes Tettelbach 5.
 Ioachim Westphalus.
 Iohannes Wigandus.
 Ludouicus Brachypodius.
 *Ludouicus Helmboldus 1.

Marcus Schultetus.
 Martinus Crusius.
 *Melchior Kehrreuter 6.
 *Michaël Schultetus 1.
 *Petrus Schröderus 3.
 *Peter Stelzer 1.
 *Peter Bejfer 1.
 Philippus Melancthon Senior.
*a m. rec.: NB. ist mir
 herauß gestolen.*
 *Samuel Kelner 1.
 *Sebastianus Mylius 1.
 *Sebastianus Starck Senior 19.
 *Strasburgius 1.
 *Vitus Kleinschmidt 1.
 *Wolfgangus Finckelthaus 1.
 *Wolfgangus Fusius 2.
 Wolfgangus Meurerus.
 *Wolfgangus de Werter 1.

Denique testimonium, quod Iacobo Fabricio cum Argentoratum abiturus esset, ab oeconomo Portensi datum est (ep. 15, apud Foerstemannum in progr. p. 12 sq. descriptum), et epitaphium Erasmi Fabri Northusani inserta sunt.

Hic igitur codex, posteaquam eum a. 1764 'Lud. Alb. Gebhardi Luneb.' possedit, qui nomen suum in primo folio posuit, a. 1838 a uiro quodam docto, ut gratum suum animum testaretur, bibliothecae gymnasii Northusani dono datus, inde a. 1889 in museum urbanum translatus est. primus eius cognitionem aperuit Foerstemannus in programme a. 1839 epistolasque quasdam edidit, maxime Iacobi fratris, quarum pars ad Portam pertineret, tum D. C. G. Baumgarten-Crusius eum Northusa huc missum uoluit sed etsi multum ea lectione oblectatum se esse dicit, publici quidquam iuris ex eo facere noluit (Praef. ad G. Fabric. ep. ad W. Meurerum p. VI sq.). Nunc denique nobis mense Nouembri a. 1889 per magistratus Northusani liberalitatem Hermannique Arnoldi beneuolentiam, qui museo illi praefectus est, licuit Georgii Fabricii epistolas hic describere et relegere consociata opera cum Curto Fleischero et Theodoro Flathio, qui in omnibus paene epistolis molestiam acquandi me dictantem calamo fortissime et amicissime sustinuit. Sunt autem omnes adhuc incognitae praeter eam quam ad Iacobum dedit, quam Foerstemannus in progr. p. 7 sqq. et hinc Baumgarten-Crusius l. s. praef. p. XVII sqq. publici iuris fecerunt; neque tamen eam de hoc corpore seclusimus et memoriae Fabricii et imitationi discipulorum nostrorum prospicientes. agmen denique claudent una ad Blasium missa et ea, qua Iacobus Andrean de Georgii fratris obitu certiore facit, ex eodem codice depromptae.

Redactis autem in temporum ordinem epistolis uerba Fabriciana constanter et clare exarata quam diligentissime repraesentauimus neque usquam mutauimus nisi paucis locis, quibus id in adnotatione significauimus, neque interpolationis abundantiam, nisi apud Fabricium a nostro more nimis abhorreret, temere circumcidimus. tum quaedam de hominibus librisque, qui eis commemorantur, praeter paucissimos, quorum notitiam ut indagarem ne intente quidem circumspicienti mihi contigit, adpersi, idque ubi primum eorum mentio facta est. nam indices, qui alteri particulae addentur, omnia nomina inscriptionesque enumerabunt, ut qua sub epistola illa explicata sint, facile inuenias.

GEORGII FABRICII AD IACOBVM FRATREM EPISTOLA.

1. S. Tobias senex caecus effectus non inculpauit Deum, sed egit gratias Deo omnibus [1. Iul. 1548. diebus vitae suae. Nos igitur beneficio affecti gratiarum actionem omitemus? Cogita enim, mi frater, vna cum Blasio, nam cum ambobus nunc loquor, quid acceperimus. A patris nostri morte quid fuit, in quo spem collocaremus studiorum nostrorum? aluit vos mater ex facultatibus eis, quas diligentia et cura tutabatur, ego statim distrahebar ad satis longum tempus, sed vobis non defui consilio, precibus, obtestationibus, ut retinerem vos in ea voluntate, in qua permanere maxime cupiebam, nihil enim posse esse videbam et ad honestas opes et ad beatam vitam aut commodius aut vtilius. Effecit postea sua beneuolentia Deus, et adiuerunt honesti viri amici nostri, vt omnium nostrum studiis cum honore consuleretur: et superiore anno in ipso belli incendio atque tumultu te isthic, me, Blasium, Andream hic aluit Princeps. Sed ne efferremur superbia aut nos alterius quam Dei, clementiarum patris, beneficio adiutos esse putaremus, iactati sumus ego maximis curis de mea adolescentia et inuidorum grauissimis calumniis, Blasius ad Vuitebergam vitae periculo,¹⁾ tu et Andreas metu et sollicitudine. Hae castigationes nobis salutare fuerunt, quia docuerunt de prouidentia et bonitate Dei, qui nos ex malis omnibus singulos liberauit. Accessit postea peculiaris casus tuus et vulnus ex matris morte tam pia, tam amantis honestatis non solum graue, verum etiam acerbum. Sed mihi crede frater, hoc ipso vulnere acerbior mihi erat morbus et in quod intentus animo eram exilium et dedecus tuum, ita enim ego interpretabar, et querelae sororis de marito quasi cumulum addebant reliquis malis, ut nihil dicam de cotidianis muneris mei molestiis. Norunt collegae et amici hic mei, quis vultus meus, qui sermo fuerit. Sed quod ego te monui quodque de liberatione tua vaticinatus sum in literis meis vide quam paterne tribuit Deus, et ita rursus tribuit, ne videretur id alienum esse officium, sed proprie suum. Nam quod ego literis proximis a D. Vuicelebio²⁾ impetrare cupiebam, id nunc effectum esse, ex aliis intelligo. Haec commemoratio prolixa est, sed ex animo eam effluere ne patiaris, vt et Deo gratias perpetuo agas et in tuo munere cum ipsius timore ac omni diligentia verseris. Ita ego semper et nuper admodum in literis ad Meurerum praedicaui te, vt omnibus nobis ingenium tuum anteferebam, et ita certe est te praeclaro Dei et incomparabili dono ornatum esse. Quod beneficium agnosce et cum Tobia, quem initio proposui, age gratias Deo per Christum omnibus diebus vitae tuae. Non explicabo partes officii tui. adiunctus es honestis adolescentibus et bonis,³⁾ vt tuo exemplo excitentur ad pietatem, virtutem, modestiam, diligentiam; caue igitur aut eas offendas, aut alienes. nulli labori parce. Vuerteris quoque nostris,⁴⁾ quantum potes et quacumque in re

1. 1) Blasius discipulos quosdam Afranos a Ioanne Friderico Electore d. XVI. Apr. 1547 obsides Vitenbergam deductos comitatus ibi a milite quodam Hispano in capite vulneratus erat. cf. G. Fabr. Supplem. Chron. Misn. p. 351.

2) Henricus de W., qui Fabricii consilia secutus a. 1554 scholam Roslebiensem condidit eumque eius ephorum constituit, mutua ueneratione cum eo iunctus (cf. G. A. et K. H. A. de W. Geschichte des Geschlechts von W. II p. 171 et p. 182 sqq.) etiam postea Iacobi studia liberaliter adiuuit. G. F. epitaphium in Poem. sacr. II p. 378. — V. Herold Geschichte v. Rossleben p. 10 sqq., ubi quae ratio inter hos viros intercesserit, pluribus exponitur.

3) Nescio quibus; uerum tamen haec consuetudo aut omnino Argentorati instituta non esse uidetur aut si est, in breue tempus; nam sumptus Iacobi nomine m. Ianio a. 1552 iam quadriennium fecerunt Wertheri. ep. 18, 2.

4) Werterorum gens Beuchlingia litterarum studiosissima cum Fabricii uita uariis rationibus cohaeret. patrem ei, qui in his epistolis saepe nominatur, Ditericum, doctorem iuris utriusque Bononiensem († 1539, G. F. epitaphium in Poem. sacr. II p. 377) habuerunt; erant ipsi Wolfgangus (n. 1519),

quocum Georgius F. iter Italicum fecit († 1583); Philippus (n. 1525) Antoniusque, qui cum Vitenbergae Melanthonem magistro usi essent, Beuchlingiae ex Italia redux idem F. per annum (ab Oct. 1543) litteris instruxit Argentoratumque ut Ioannem Sturmium, praecceptorem tum omnium celeberrimum, audirent, deduxit (d. 29. Sept. 1544); auocato Misniam Fabricio ibi per aliquantum temporis remanserunt, Philippus etiam octo annos, post quos itinere Gallico et Italico facto a. 1556 domum rediit. Omnes summo cum studio in litteris tractandis uersati sunt, sed cum Wolfgangus ('Orator Germaniae', † 1583) et Philippus († 1588) etiam ad res publicas accederent, Antonius († 1579) sola litterarum laude floruit. Inuat iudicium luculentum ipsius Fabricii de eis hic apponere ex Albino (Chron. gent. Werther. p. 52) desumptum: 'Ge. Fabricius hat oft von diesen Herrn und seinen beyden Brüdern zu sagen pflegen: Man fände in Thüringen drey Herren von Werthern, Herrn Wolfgang, Herrn Philippen, und Herrn Antonen, Gebrüder, wenn man deren noch viere hätte, die so verständig, weise und klug wie die drey ersten, würden solche sieben Herren das ganze Römische Reich alleine regieren können'. V. Baumgarten-Crusius De Georgii Fabricii uita et scriptis I p. 35 sqq.

potes, inserui. fratrem⁵⁾ excita et ipse retine, qui mihi semper concionari melius videtur de labore quam ipsum amplecti. (non aegre hoc ferat, non possum enim apud eos, quos tamquam animam meam amo, simulator esse, et de meo in vos animo aliquando rectius iudicabitis.) Hospita Argentorati si quid priuati officii, quod mihi promisit, in te conferet, ostende te memorem, vel cum iactura studiorum tuorum, Iosephi filii illius studiis vnam horam die inserui. Ego expertus sum, quid possint ad animos conciliandos talia studia. Non tamen quasi iussus id age, vel a me vel a Blasio, sed postquam in aliquam artium illarum notitiam veneris, tua sponte suspice. D. Ioannem Sturmium⁶⁾ diligenter audi et in classibus, quas te inprimis adire volo ad praecepta artium cognoscenda, diligenter te exerce. Vtinam, vtinam inspiceres sollicitudinem de vobis meam. Cupio enim vos auctos doctrina, virtute, pulcherrimarum rerum cognitione aliquando cum laetitia animi mei inspicere et amplecti. In inuocatione filii Dei mane et moderate cole studia, non insectare quemquam, tales enim odit Deus, et Blasius, vt et literae proxime eius declararunt, est in ea re impudentissimus. nouit quam saepe sit admonitus: hortare tu quoque. Sapientis dictum est: 'Qui amat periculum, peribit in illo.' Discat sapere, discat sentire et iudicare de omnibus moderate. Si quod ingenii donum aut cognitionis munus prae aliis habemus, seruiat id omne caritati, non calumniae, modestiae, non insectationi, gratiarum actioni, non superbiae. In scribendo quid tibi faciendum sit, quisue imitandus, saepe te monui, et nunc discas ab optimo magistro Ioan. Sturmio. O frater, relinque omnes voluptates et vtere beneficio Dei, liberalitate patroni, opportunitate temporis, consilio meo. Preces meae non desunt, et propter vos Misericordias Domini in aeternum cantabo.

Haec vt quaeque inter scribendum in mentem venerunt, ita exaravi: tu has et alias litteras de moribus et studiis ad te scriptas in unum aliquem librum coniice, et saepius lege: non te poenitebit operae. Restant pauca, quae iudico esse praesentis temporis, modo enim dicta quae sunt, totius vitae erunt praecepta. Ex Porta ita discede, ut videaris et tuis benefactoribus esse quam gratissimus, et nihil quidquam offensionis post te reliquisse. Oecono- carmine age gratias. praeceptoribus tuis agere verbo non potes, sed per omnem vitam debes illis esse obligatus veneratione et obseruantia. Sociis studiorum singulis valedicito. Supellectilem non plane necessariam relinque et pauculos libros tecum accipe ac maxime necessarios. Habebis enim omnia cum Blasio communia. Tua diligenter compinge, quae relinquis, et commenda uni ex praeceptoribus, ne puerorum lasciuiam, ut fit, aut tollantur aut certe violentur. Nihil iam aliud habeo, quam ut te commendem Deo et moneam, ut praecepta haec audias. Deo autem patri per Iesum Christum gratias ago sempiternas, qui nobis spiritu sancto suo se patefecit et nos omnes suis muneribus ornauit, quique in nobis a prima usque aetate nostra ostendit se respicere ad pauperes, quos non desertos esse vult pati neque potest pati, modo nomen ipsius inuocent et toti de eo pendeant. Oro autem te, aeternae omnipotens, benigne pater, ut tua munera in nobis augeas, et spiritum sanctum tuum porro inuocantibus te in nomine filii tui, domini nostri IESV CHRISTI, largiaris, vt te confiteamur, tua beneficia praedicemus iisque vtamur ad gloriam nominis tui et vtilitatem aliorum hominum. Conserua nos ab insidiis Diaboli, a voluptatibus carnis et mundi, vt puris cordibus et conscientis laetis semper inuocemus te et tuis tantis in nos beneficiis ad gratiarum actionem excitati perpetuo cantemus laudes tuas, et bonis exemplis duces simus iis, quibus tu nos praeesse voluisti. Per IESVM CHRISTVM filium tuum. Amen.

Vale mi frater et desiderium tui crebris litteris leni. Misenae. Cal. Iulii 1548. Georgius.⁷⁾

Iacobo Fabricio fratri suo. (Cod. ep. 17.)

10. April. 1551.] 2. S. D. Mitto tibi supellectilem, precium pro vectura nautae ita solui, vt ad hospitium vsque mittat cistam: quamobrem opus non est te aliquid exponere. Caligae cum nuncio aliquo sunt mittendae, idque faciam, cum primum aliquis erit: adiunxi ad easdem indusium.

5) Blasium dicit, qui tum Argentorati sub Sturmio litteris operam dabat.

6) De arte consuetudine, quae inter hunc et Georg. F. intercessit, uid. Th. Flathe St. Afra p. 25; multa instituta Afrana ad eius auctoritatem sunt referenda. Epistolam eius consolatoriam post mortem Georgii ad fratres scriptam Iacobus edidit in Georgii epitaphiis init.

7) Aliae epistolae nauauerunt Georgii ad Iacobum ap. Schreber. in vit. Fabricii p. 17 sqq. V. Elegantiarum pueritium ex M. Tullii Ciceronis epistolis libros III collectos a G. F., quos idibus Maiis a. 1548 scholarum Misenensis et Portensis pueris inscripsit, adiuncta epist. ad Iacobum ex Helmaeponte Turingorum IX. Septembris 1544.

Te oro, vt pius sis et diligens et me de statu tuo facias certiore. Blasium audio ad me venturum, accepi literas ab aliis, sed non ab ipso. Vale. X. die April. M.D.LI. Georgius Fabricius.

Andreae Fabricio, iam Vuitenbergae agenti fratri suo cariss(im)o. — Bei dem M. Erasmo Reinhold, oder Paulo Ebero zu erfragen. (Cod. ep. 34.)

3. S. D. Christianus Lotichius¹⁾ reddet tibi thaleros tres, vt M. Friderico²⁾ reddas, [1. Iun. 1551. cui velim etiam gratias agas nomine meo. Libellum Sphaerae cum Morticio³⁾ mittam aut nuncio, qui primus offeretur, cui adiungam Romam meam⁴⁾ impressam, et poemata Siberi⁵⁾ Hoc ipso die literas accepi Crusii⁶⁾, quae V. Id. Mar. scriptae sunt. Mittit ad te psalmos graecos: priores ad te scriptas resignauit, propter Pisonem,⁷⁾ qui domum rediit, posteriores nolui. Epistolae Sturmii duas adiunxi, vnam ad Vuerterum, ad me alteram, exemplum remitte. De ratione imitandi si qui a nobis dissentiunt, vt tuis prox(imis) significas, non mirum, sed amplectere quod bonum est, donec melius inuenias et vrge captum cursum mi frater summa vigilantia. Si initia institutionis tibi graua videntur, perfer et vince patientia omnia: quam virtutem Blasius noster ignorat, Iacobus ita didicit, vt iam ea sic fruatur, vt Vuerteri⁸⁾ ipsius pene arbitrato viuant, quibus scribendo repetendo obsequendo inseruiens fideliter amatur ita, vt nihil illi imponant, nisi quod ipse eligat facere. Hoc ex Blasii literis, quas legens et meam vitam recognoui, quae primum fuit puero mihi satis acerba, et ex animo gauisus sum Iacobi nomine. Te oro mi frater, vt Deum honores in munere tuo pietate, studio, patientia. Vale et ad me saepe scribe. Misena ex ludo illustri Cal. Iunii M.D.LI. Georgius Fabricius.

Andreae Fabricio. (Cod. ep. 25.)

4. S. Romam non est quod a me petas, nam vidisti, vt opinor, quam a tenui [12. Iun. (1551). initio peruenerim ad istam descriptionem; exemplar vero, quod ad typographum misi, inter exarandum auxi, ne nimis rude opus esset, quamuis et in ista breuitate, quam secutus iudicio sum, nihil exculsi inest. Tibi isthic placere omnia et mihi placet. Christianum Lotichium velim nomine meo ores, vt Michaëlis Beuteri¹⁾ Calendarium ad me mittat, quod si eo carere non potest, modo vt inspiciam et conferam cum D. Pauli¹⁾ labore. Semina a quo acceperis, miror:

3. 1) Frater Petri Secundi L., elegiarum scriptoris, quocum G. F. metalla Misnensis inspexit (uid. Schreber Vit. Fabr. p. 306 sqq.), d. 5 Iun. 1550 Vitenbergae intitulatus ('M. Christianus L. Solitariensis' Förstemann Alb. p. 256), item poeta, postea diaconus Schlüchternensis † 1568.

2) 'Compater' a Fabricio dicitur in epistola ad Meurerum p. 118 ed. Baumgarten-Crusii.

3) Ioannes Morticius (Mortitz), Misnensis, ex familia senatoria (Loose Mitteil. f. Gesch. d. St. Meissen II 1 p. 38), m. Iunio 1542 Vitenbergae intitulatus (Förstemann p. 197), a. 1546 Misniae in schola senatoria baccalaureus, a. 1547 cantor, 1549 pastor Sondershusanus, Andreae familiarissimus, mortuus ibi a. 1567, tali elogio a G. F. ornatus (ann. Misn. p. 228): 'In hac urbe natus M. Iohannes, Iohannis F. Morticius, moritur X. Cal. Octobris Sundershusiae, generosi et fortissimi comitis Guntheri Suarceburgii concionator, integritate uitae et morum rectitudine eximia praeditus.' In ep. tamen 20 diaconus Sangerhusanus a. 1552 appellatur. (Loose Mitteil. I 4 p. 45.) Carmen G. F. nuptiale 'Ioh. M. et Veronicæ Medleræ' in Poem. sacr. I p. 479 sq. — Libellus Sphaerae est Procli, quo tum professores Vuitenbergenses in praelectionibus uti solebant, ut Ioachim Reticus, Ioa. Aurifaber (Script. profess. Vuit. I E 40, h 3: 'Primum autem discenda sunt elementa, quae continentur in libello de Sphaera, quam iuxta consuetudinem saepe repetimus', ut hic ait in indic. prael. a. 1549).

4) 'Romam' misit ad Volfgangum Werterum Calend. Iul. anni 1550, laudatam etiam nunc ab H. Iordano Topogr. d. Stadt Rom. I 1 p. 82 sq.

5) Adamus S., natus a. 1515 Schoenauiae apud Cygneam (Zwickau), cum G. F. amico Riiu discipulus

Annabergae et cum eodem collega Fribergae, primus rector scholae Grimensis (1550—1584), magnam poematum latin. copiam scripsit. Carmen nuptiale G. F. 'A. S. Poetae' in Poem. sacr. I p. 432 sq. cf. C. G. Lorenz, Series praecept. Grim. p. 6. Palm, De pristina Moldani disciplina (Progr. Grim. 1850) p. 2 sqq. Vitam eius enarrauit H. A. Schumacher (Grimae 1719), qui testimonia mutuae amicitiae horum rectorum p. 286 sqq. collegit.

6) Martinus Cr. (n. 1526 Grebernae in episcopatu Bambergensi) in instituendis Werteris Argentorati successit Hieronymo Wolfio, ut hic Georgio F. atque postea etiam aliorum nobilium paedagogus fuit; a. 1554 rector scholae Memmingensis factus est, ab a. 1559 Tubingae in academia litteras graecas docuit magnaue audientium multitudine floruit; epist. G. F. ad eum scripta apud Schreberum p. 309. A. D. B. IV p. 633 sq.

7) Vnus ex auunculis Georgii uel eorum cognatione, uid. ep. 27.

8) Philippus et Antonius, uid. ad ep. 1,4; supra Volfgangus esse dictus uidetur.

4. 1) Michael B. a. 1522 in Franconia natus, philologus et historicus, qui a. 1587 Argentorati mortuus est, eodem fere tempore 'Ephemeridem historicam' Parisiis edidit, quo Paulus Eber 'Calendarium historicum' (Vitenb. 1550), et a multis tum insimulatus est, quod hanc operam compilasset aut imitatus esset, ut ipse epistola ad Eberum data de ea re se excusaret. Vid. Horawitz A. D. B. II p. 590. Ebero, item Franco, qui priusquam totum se theologiae daret (fuit Vitenbergae et pastor et ephorus et professor), de uariis rebus libros scripserat (obiit 1569), G. F. multum usus est; epistolae quaedam ad eum editae sunt ex cod. Gothano a Baumgarten-Crusio Ep. ad Meurer. p. 125—136.

ea mittam ad sororem; quae tu addidisti vtinam nunquam radices agerent! neque agere poterunt, sed zizania²⁾ bonum semen saepe corrumpit. De statu tuo in hospitio et de exercitationibus tuis scribe. Epicedion Plateano³⁾ scriptum num in spongiam?⁴⁾ an eodem die apparuit et occidit? scribe etiam de eo. Si quid audis de Roma mea, in quancumque partem, ne me caela, iudicium nullius contemno, et ad doctrinam et ad cautionem vtilia sunt omnia homini non ignauo neque tardo. Blasium in maerore credo esse ob amissum filium. Te valere opto mi frater. Deum oro, vt tueatur Ecclesiam vestram et scholam, quibus saluis et nos respiramus. Contubernalis aliquando tuus Calloresus⁵⁾ maior mihi multum exhibet molestiae immodestia sua: Deus honoret illum, vt ipse altores et doctores suos. Ora diligenter et frequenter, semper mei memor. Vale denuo. XII. Iunii. Georgius.

Andreae Fabricio, fratri suo. Vuitenberg beyrn M. Reinhold. (Cod. ep. 271.)

23. Iun. 1551.] 5. S. D. Calendarium Beutheri accepi, literas Lotichii non vidi additas. De Calendario alias iudicium tibi meum, tibi dico, apud quem mihi libere iudicare licet.¹⁾ Vicisti me vt rude opus Romae tibi mittam, sed cognosces facile, quid inter primam manum καὶ δευτέραν πορτίδα intersit. Seruabis ista tuo scrinio et si quid intellexisti de aliorum iudicio, ne me caela; si quid enim sensero, secundam editionem dabo meliorem; vt copiosior darem rogatus sum, sed nolo Marliani opus²⁾ in meum transcribere. Tui epicedii mentionem feci in literis ad Philippum.³⁾ Librum epithalamiorum⁴⁾ misi Papae⁵⁾ excudendum: odarum vltimum⁶⁾ iam in manibus habeo, quos mittam Oporino.⁷⁾ Tabulam quandam Annalium, ita audiui nominari, isthic excusam accepi:⁸⁾ eme mihi exemplar et, cum nuntium habebis, mitte, reddam pecuniam. Scribe quo precio emere possis coria in caligas: si isthic viliore, mittam proxime pecuniam. Vale et nullum nuncium literarum inanem mitte. Deus aeternus pater Domini nostri Iesu Christi, altor noster a puericia, largiatur tibi spiritum sanctum, ut et pietate et doctrina progrediaris, ad honorem ipsius et salutem proximi. Amen. Misene IX. Cal. Iulii M. D. LI. Georgius Fabricius.

Andreae Fabricio, (fratri) charissimo. (Cod. ep. 26.)

2) Lolium.

3) Petrus Plateanus, Brabantinus, amicus Agriccolae, rector gymnasii Cygneensis celeberrimus anno 1535—1546, modo Ascariae (Aschersleben, d. 27. Ian. 1551) mortuus erat.

4) V. Suet. Aug. 85.

5) Tale nomen in indice Kreyssigiano non extat; an unus e Schoenbergiis, qui multi tum in hac schola fuerunt? quattuor a. 1551 de schola abierunt.

5. 1) V. ad ep. 4, 1.

2) Bartol. Marliani 'Antiquae urbis Romae topographia' Romae a. 1534 primum prodit. Fabricius, qui eius liberalitatem Romae ipse expertus erat, sic de ea iudicat (ep. ad Meurer. p. 68): 'Marliano manet ordo suus et laus sua sed reliquit tamen altis etiam diligentiae locum'. Cf. Iordani Topogr. I 1 p. 82, qui item eam laudat. Mortuus est a. f. 1560.

3) Cum Philippo Melanthonie amicitia Fabricio medio m. Augusto anni 1547 (Corp. Ref. VI p. XV) contracta erat, quo cum iter Misniam fecisset, d. 26. Aug. 1547 ad eum scripsit: 'Nuper autem in nostro itinere vidi similem esse (scriptis) tuam in moribus elegantiam et suauitatem, quare te magis etiam amare coepi uoloque inter nos perpetuam amicitiam καὶ ἀδελφότητα esse' (Corp. Ref. VI p. 644, 950 (uid. Flathe p. 30 sq.)). Postea conuentus crebri fuerunt, m. Apr. 1548, m. Nou. 1551, Dec. 1553 (ep. ad Meur. p. 79. 95. ad Andr. fr. 27), Sept. 1554 (ut cum Camerario scholam inspiceret, Flathe p. 72), Febr. 1555 (eadem de causa, Flathe l. s.). Vid. ad ep. 15 n. 12. In Corpore Reformatorum quinquaginta septem Melanthonis ad G. F. ('carissimum fratrem') extant, plures perisse videntur.

4) Libro epithalamiorum carmina nuptialia, quae ad Leonhardum Badehornium, Wolfgangum Meurerum, Ioannem Chentmannum amicos miserat, complexus est. uid. Schreber V. Fabr. p. 192. Praeterea idem alia plurima carmina nuptialia condidit, quae cum inscriberet 'Carminum libros II', ad Casparem Naeuium cum carmine misit et postea in Poemata sacra recepit. Vid. ad 37, 4.

5) Valentinus Papa typographus Lipsiensis.

6) Odarum libros III d. 14. Aug. 1551 ad Georgium principem Anhaltinum misit, 'ut te et patrono clementissimo et iudice beneuolentissimo ad mei cum defensionem tum honorem uter' (in praef.). Postea primo loco inserti sunt poematis sacris.

7) Ioannes Oporinus, natus 1507 Basileae, Argentorati studiis litterarum operam dederat professorque in patria linguae latinae a. 1533, graecae a. 1537 factus erat; tum uero (a. 1539) omisso hoc munere ad typographiam se uertit et non solum elegantia typorum emendationeque plagularum de ipsis libris sed etiam adhortandis ingeniis multorum adolescentium omnino de litteris bene meritus tam clarum nomen obtinuit, ut ab omnibus regionibus libri manuscripti in eius officinam confluerent; mortuus est 1568. Fabriciorum librorum maxima pars in eius aedibus excusa est. uid. ep. 88. Steiff A. D. B. XXIV p. 381—387. Carmen G. F. nuptiale in Poem. sacr. I p. 484 sqq.

8) Fort. Ioa. Carionis (n. 1499, prof. mathem. Francofurdi ad Viadrum) Chronica, quae a. 1558 Vitenbergae etiam Melanthon edidit. Corp. Ref. IX p. 531.

6. S. D. Si quid de conuentis Theologorum¹⁾ isthic cognosces, peto abs te, ad me [8. Iul. 1551. vt scribas: faciat Deus, vt animis bonorum omni simultate deposita unum in Christo fiant, vt destruantur Diaboli et Antichristi, administri eius, conatus. Scripsi nuper²⁾ ad te de tabula Historica istic impressa, cui velim adiungas Calendarium Eberi;³⁾ meum enim misi ad Melchiorem Pisonem⁴⁾ in Stiriam, qui literis flagitauit. reddet ad vtrumque opusculum emendum dimidium thalerum Reuschius.⁵⁾ De coriis in caligas, quid fieri velis, significa et ad reliqua, quae in prox. literis fuerunt, rescribe. Si quid missurus es, D. Danieli Gresero⁶⁾ aut M. Antonio Lauterbach Pirnensi⁷⁾ pastori perferendum offer: credo ipsos non inuitos⁸⁾ id suscepturos esse. De spe pacis cum Madeburgensibus⁹⁾ scribe etiam aliquid, si quid tuto potes. Vale. Misena VIII. Id. Iulii. M. D. LL. Salutat te Georgius Trepta,¹⁰⁾ qui nunc febricula laborat septimum diem. Georgius Fabricius.

Andreae Fabricio fratri suo carissimo. (Cod. ep. 22.)

7. S. D. 'Auxilium nostrum a Domino' vere possumus cum Davide¹⁾ dicere. Quam- [12. Iul. 1551. obrem non est quod imploremus Aulam, aduersam studiis et contemptricem nostri. Mea fides non deficit tibi, sed frustra laboratum est et per me et per amicos. quamobrem si grauius tibi quid aut molestius accidit, perfer nec dubita, quin Deus tibi affuturus sit, et contemne leues illos et mendaces tales, qui te magnum malum incursum dicunt. Vtere tuo potius iudicio, quam aliorum, quod ad hanc rem attinet. Nihil tibi erit et ad prudentiam vtilius et ad studia melius, quam viuere in domo docti et honesti viri, et tempore ipso minuentur molestiae. Epicedium tuum²⁾ legi, vellem mihi misisses emendandum, priusquam ederes. Laudo studium tuum et te hortor, vt in scribendo, quae ipsi tibi non possunt placere, ea tollas aut mutes et non aut indulgendo instes aut desperando desistas agere, donec artificiose agere discas. Antiquarum legum volumen cum Sturmii praefatione³⁾ non vidi, significa mihi quanti ematur et cura caetera, de quibus nuper ad te scripsi. Lectum Iacobi si alia ratione non potero mittere, imponam Laurentio.⁴⁾ Homerum etiam accipies, quem petisti. Calleoreo quae vtenda dedisti, perdidisti: discessit hinc vt improbi et ingrati solent. Quare si alia ratione potes cum ipso agere vel petere annulum, facito, verum ne perdas operam quoque vereor. Odarum et Itinerum⁵⁾ pagellas tibi reseruabo, quoniam id pertinere ad tua studia existimas; vide tamen ne nimis

6. 1) Postquam Melanthon, Bugenhagen, Camerarius, Ludouicus Fachs Dresdam in aulam, ut quid de concilio Tridentino faciendum esset, d. 12. Febr. 1551 uocati sunt, multi principes et urbes euangelicae legatos Vitenbergam miserunt, qui et quid de concilio constitutum esset, comperirent et de communi confessione illi tradenda referrent. quibus Mel. theolog. Vitenbergensium et Lipsensium uerbis, si imperator euangelicos audire uellet, concilium non esse recusandum respondit et mense Aprili exeunte ab Electore iussus Confessionem saxoniam uel Repetitionem Augustanam composuit; quam ut ipse concilio Tridentino proponeret, m. Sept. Vitenberga profectus est, tum uero Mauricii expeditione Norimbergae retentus et reuocatus. C. Schmidt Melanthon p. 534 sqq.

2) Ep. 5, 8.

3) V. ad ep. 4, 1.

4) M. Piso (Becker) auunculus Georgii. Carmen nuptiale ad eum extat in Carm. I (Poem. sacr. I p. 411 sq.).

5) Ioannes R. Rottachiensis Francus (intit. Vitenbergae m. Apr. a. 1542, Förstemann p. 203), a. 1547 cantor Afranus et propter artem musicam a Georgio F. Meurero multum laudatus (p. 44. 58), eiusque compater, 1548 rector scholae urbanae Misniensis, a. 1555 cancellarius episcopi Mism. cancellarius, postea canonicus, decanus Wurzenensis, Electoris consiliarius, mort. 1582. Kreyssig Mitt. d. Vereins f. Gesch. v. Meiss. I 4, p. 44.

6) Ioa. Daniel Greser tum pastor Dresdae ad Stae Crucis et ephorus, filius eius Afranus, uid. Kreyssig Alb. d. evang.-luther. Geistl. p. 102. Afran. Alb. p. 10.

7) Antonius Lauterbach post diaconatum Vitenbergensem a. 1539 ephorus Pirnensis, Kreyssig Alb. d. Geistl. p. 290.

8) inuitus Autogr.

9) Nicolao de Amsdorf et Matthia Flacio, qui de rebus mediis uel adiaphoris Georgio Maiero (uid. ad 8, 3) controversiam intenderant.

10) V. supra p. 3.

7. 1) Psalm. 124, 8.

2) Plateani, uid. ep. 4, 3.

3) 'Vlr. Zasius, Catalogus legum antiquarum una cum adiuncta summaria interpretatione' Argent. 1551, cui libro St. ad regem Maximilianum praefatus est. Ch. Schmidt Vie de J. Sturm p. 326.

4) 'Auriga Laurentius' Ep. ad Meurer. p. 87.

5) De Odis uid. ad 5, 6. — Itinera, postquam Romanum primum Antonio Carchesio Romae Kal. Nou. 1542, Neapolitanum Caspari Naeuio Neapoli XI Kal. Apr. 1543, Romanum secundum Leonhardo Badehornio Romae VI Kal. Apr. 1543, Patavinum Valerio Cordo Patavii Kal. Iun. 1543, Chemnicense Wolfgango Meurero Chemnicii Kal. Oct. 1543, Argentoratense Valentino Grauius Argentorati IV Id. Oct. 1544 inscripsit, coniuncta Misena XIX Kal. Sept. 1547 ad Philippum et Antonium Werteros misit et conphories apud Oporinum Basileae edidit.

mea ames. Quod ad institutionem tuorum⁶⁾ pertinet, sequere iudicium patris. Blasio decreui mittere pecuniam, vult manuariam artem exercere nescio quam: nihil est in eo stabile. Piso mihi narravit eum potuisse Classicum praeceptorem fieri, sed neglexisse; ab affinibus⁷⁾ quoque hactenus destitutus auxilio est, quod semper de mutando loco sermonem fecerit. Ita dum multa agit et importune, nihil agit quod in rem est suam. Si scribes ad eum, quod te velim facere diligenter, admone illum, sed meo nomine suppresso, quasi ex aliis audiuveris. Habuit commensales ut vocant, eos quoque morositate eiecit. Vides hominem suo semper iure usum iam detrudi in eas angustias, in quibus cogitur patiens esse, quod si me audiuisset et secutus Sturmii consilia esset initio, iam tantopere non laboraret. Habes ad omnia, quae quaesiisti. Vale feliciter, et memento *Τὸν πόνον*, ut Euripides ait, *τῆς ἐνλείας πατέρα εἶναι*.⁸⁾ Misena, die Margarethae, qui mihi matris nostrae dulciss(im)am memoriam reuocavit. M. D. LI. Georgius.

Andreae Fabricio, fratri suo carissimo. (Cod. ep. 41.)

7. Aug. 1551.] 8. S. D. Accipies lectum, coria, cum primum mittere commode potero. Vellem tunicam⁴⁾ mihi mitteres, quam curabo subducendam pellibus, ut hyeme audire lectiones publicas possis minore molestia. De lecto moram perfer, vectura hactenus defuit et impediuit. Repe tam autem priora, ut te moneam et hortor, ut pius sis et statum tuum, quo debes animo feras: Deo gratias ago, quod in honesti, eruditi et modesti viri²⁾ sis domicilio: nam hoc unum Blasio defuit; et qui tibi alia obgannunt, errant. Crede mihi, mihi inquam, hoc tempore felicitatis partem esse talem conditionem, qualem nunc habes, habere, et tali in loco. Idque recte me sensisse intelliges. Literas D. Philippo et D. Maiori³⁾ ipse redde illisque significasse, qui huc redeant. Composui hymnos quosdam, qui isthic excudentur, et veteres ecclesiasticos emendavi.⁴⁾ Veterum exemplar mitto D. Maiori, qui id petiit, meorum D. Philippo, ut iudicio ipsius edantur.⁵⁾ Veniunt ad te quidam ex tuis sociis, qui nomen isthic dare cupiunt Academiae: cum iis rescribere et vale. Deo te commendo mi frater. Misena, die Donati. M. D. LI. Trepta te salutet. Georgius.

Andreae Fabricio, fratri suo carissimo. (Cod. ep. 32.)

6. Sept. 1551.] 9. S. D. Nuper subito ad te scripsi, et lingua vernacula. Vrebat enim auriga. Cupio scire, mi Andrea, ut valeas: multis in locis in vicinia pestis grassari incipit et hic tres domos suburbanas inuasit. Acepi a Blasio literas ante triduum, ei misi ad rem familiarem constituendam, pecuniae quod petiit. Val. Hedericus¹⁾ chiragra et podagra laborat, miser homo et oppressus aere alieno in alienis locis. Credo te ad fratrem scripsisse id, quod tibi suggessi. Pelles ad tunicam Lipsiae tibi comparandae erunt; si potes, mitte ad me mensuram, ut vocant, tunicae, curabo enim ut habeas, cum primum potero. Mirichium²⁾ saluta nomine meo, quod debet oeconomus³⁾ persoluetur, ut hac hyeme sit securus. Ad nobilem scripsi bis. Sed adhuc nihil responsi accepi. Vocant me in Turingiam amici, ut eos visam, sed nosti, in quo loco et cum quibus hominibus verser.⁴⁾ Vale et saepe scribe. Salutet te Georgius Trepta. Misena VI. die Sept. M. D. LI. Georgius Fabricius.

Andreae Fabricio fratri suo carissimo. (Cod. ep. 33.)

6) Reinholdi filii et Casparis Ratzenbergii uid. supra p. 2.

7) Crato-Mylianis, vid. s. p. 3.

8) in Licymn. fr. 474 (p. 508 Nauck²⁾) ap. Stob. 29, 7.

8. 1) In mg. den Leibrock.

2) Erasmi Reinholdi professoris clarissimi Vitenbergensis mathematici, uid. supra p. 2.

3) Georgius Maior, Dr. theol. Norinbergensis (1502—1574), tum tertium professor Vitenbergensis; etiam Misniam, ut scholae theologiae praesset uocatus erat sed frustra. Flathe p. 39. uid. ep. 30. Corp. Ref. VIII p. 215. Eius filius Christophorus tum Afranus, Kreyssig Alb. p. 13.

4) Primum seorsum editi sunt: 'G. F. Ch. De historia et meditatione mortis Christi, quae in noctis dieique tempus distributa est, hymni XXIII. piorum uirorum additis precationibus'. Ipsi enim hymni a F. compositi sunt, quae addidit carmina, ab aliis

uiris doctis, quorum indicem praemisit. Deinde a. 1552 tres hymnorum libros ad fratres misit, in quibus illi primi libri locum obtinent, a. 1566 quartum et quintum ad Ioa. Gigantem Eccl. Freistadianae praesidem, postremo inseruit Poematis sacris, de quibus uid. ad 37, 4. V. Schreber Vit. Fabr. p. 191. 193 sqq. Müller Gesch. d. Fürsten- u. Landessch. St. Afra II p. 20. — De ueteribus ecclesiasticis uid. ad 79, 3.

5) Vid. ad 79, 3.

9. 1) Hederici Fribergenses tres sub G. F. Afrani fuerunt, nemo tamen Val. nominatur.

2) (Simon) Mir. ep. 17 per Andream Misniam euocatur, ut 'nobilem' aliquem instituendum suscipiat. In cod. Gothano exstat epistula Fabricii 'Bono et erudito adolescenti Simoni Mirichio Sleinciorum (Ioannis et Hugoldi) praeceptoris amico suo' (ap. Baumgarten-Cr. ad Meur. p. 146).

3) scholae, tum Ioanni Rossbachio.

4) V. Flathe p. 55 sqq.

10. S. D. Quod vales, gaudeo: ego valeo. Literas tuas libenter legi, quia exspectatae fuerunt; libentius cognoui nihil isthic a morbo, qui nunc passim lethabiliter grassari incipit, vobis periculi esse: hic domos inuasit sex, non plures; nam id certo scio ex D. Bartholomaeo Diacono,¹⁾ qui magno animo omnes inuisit, neque aliter ex coss. huius oppidi cognoui. tantus tamen inuasit terror propter rumores vanos totam hanc viciniam, vt Misensem fere nemo urbe aut hospitio velit accipere. Pueri Dresdenses plerique sunt auocati ex ludo et nobiles dilabuntur, et ii, qui literas non amant, facile inueniunt, quod persuadeant credulis parentibus. Clariss. viro D. Doctore Maiori meo nomine dic, ne sollicitus sit propter filium.²⁾ nam si periculum maius (quod Deus auertat) incumbet, mittam eum Dresdam cum D. Danielis filio.³⁾ Ego dissipationis autor non ero: manebo apud meos, quam diu non vis aut necessitas aliqua extrudat; quam vim dicam, fortasse intelligis, minime enim es meorum certaminum ignarus. Deum oro, patrem Domini nostri Iesu Christi, vt suo angelo nos defendat, quod antea belli temporibus fecit; tu quoque precibus tuis Deo nos commenda. Quid malorum non sentit Europa? bella intestina, externa, famem, pestem, incendia. sed haec secutorum monstrorum videntur esse initia. Quamobrem mi frater sis ardentior in inuocatione, in moribus regendis diligentior, in officio tuo priuatim et publice curiosior, vt pro sua quisque parte leniat et declinet iustam Dei iram. Commentarios Graecos D. Camerarii⁴⁾ tibi compara et significa, quanti constiterint. Accipies pecuniam cum primo nuncio. D. Philippum ex me saluta cum omni obseruantia. Etiam opt. virum hospitem tuum. Tabellarium noli dimittere sine literis, et ad ea, quae in charta assignaui, singula responde. Vale. Misense, ultimo Sept. M. D. LI. Georgius Fabricius.

Andreae Fabricio, bonis literis operam danti in academia Vuitenbergensi, fratri suo carissimo. — Bey dem hern Mgstr Erasmo Reinholdo. (Cod. ep. 46.)

11. S. D. Pelles te Lipsia accepisse credo, totis credo non egebis: quamobrem vide [15. Oct. (1551.)] ne decipiaris a pellifice. Debet mihi thalerum D. Maior, eum iussi tibi dari, iniunxi id eius filio,¹⁾ vt patrem moneat, quamobrem non est opus huc mittere. Sed tu non adhortare: si mittet huc, alias accipies pecuniam. Scribe modo, quanta egeas. In hymnis meis²⁾ errores sunt.

De oblatione Christi. scribendum

Hoc lumen, haec et gloria.

II De morte

Tu vita, consolatio,

Robur, salus, redemptio.

II De reditu in vitam.

Euasit Heros, saxeo

Nil profuit vis Morti,

Clastrum sepulchri peruium

Furor repressus Tartari.

Si aliter legitur, emenda. Francofurdia adhuc neque literas neque libros accepi. Sie studiren noch zu Leipzig, wie vorm Jare.³⁾ Deo te et studia tua commendo. Vale. XV. Octobr. Georgius.

Andreae Fabricio, fratri suo carissimo. (Cod. ep. 53.)

12. S. D. Duos thaleros reddet tibi Vrbanus Pfefferkorn,¹⁾ literas item binas, [10. Nov. 1551.] alteras Iacobi, quas resignaui propter nuncium, quem huc miserunt, si quid inesset, quod subito responso egeret, alteras Krusii.²⁾ Ad D. Philippum scripsi elegiam de prodigio quodam, quam si audis editurum esse, cura adiiciendum CHRISTVM tuum lachrymantem, si idem ipse rectum esse iudicauit. ἀριθμολογίαν³⁾ non videram, quam hoc die accepi. Vellem in curando crure te

10. 1) Barthol. Clamorinus (Schreier) Vitenbergensis, archidiaconus Misnensis 1550—1602; Kreyssig Mitteil. I 5 p. 43. Carmen G. F. nuptiale in Poem. sacr. I p. 454 sq.

2) V. ep. 8, 3.

3) Greseri, uid. n. 6 ad ep. 6.

4) Cum Ioachimo Camerario Bambergensi (1500—1574, post a. 1541 professore Lipsiensi), philologorum tum principe, Melanthonis amicissimo, G. F. artam consuetudinem coluit, ita ut inter se in libris euulgandis adiuvarent, cuius usus Camerarii et litterae multae et epitaphium post G. F. mortem etiam nunc testimonio sunt; uid. Schreber p. 299 sq. Duos filios quoque idem disciplinae Afranae tradidit (Kreyssig p. 21, 24). Eius commentarii utriusque linguae a. 1551 prodierunt.

11. 1) Georgius Maioris filius d. Michaelis Afra discesserat, unde annum epistolae supplevi. uid. ad ep. 8, 3.

2) V. ad ep. 8, 4.

3) Nescio quo spectet.

12. 1) Misnensis, Afranus ab a. 1543—1549, d. 14. Dec. 1549 Vitenbergae intulatus (Förstemann p. 251), postea imperatori Maximiliano II Pragae 'ab officiis, vir dignitate et probitate spectabilis'. G. Fabr. Ann. Misn. p. 183. Kreyssig p. 3.

2) V. ad ep. 3, 6.

3) Αριθμολογία ἡθικὴ a Camerario scripta, ab Esromo Ruedigero edita Blasioque Fabricio inscripta; uid. ep. 13.

Medici consilio vti. Consule clariss. et opt. virum D. Melchiorem Fendium,⁴⁾ cuius fides omnibus studiosis nota, et singularis humanitas mihi quoque perspecta. Posset fortasse curari aut mittendo sanguine aut certe purgando. Vellem, si posses, aliqua exercitatione uteris; si foris non liceret, domi ratione quacunque quaereris. Vale. pridie Martini 1551. Georgius Fabricius.

Andreae Fabricio, Vuitenberg[ae literis] operam danti, fratri suo. (Cod. ep. 35.)
1551.] 13. S. D. Audio te literas a Blasio habere, quas cur Morticio non perferendas dederis, miror; si Dresdam allatae sunt, scribe, cui sint commissae aut apud quem depositae, ut si quid ad eas respondendum sit, his nundinis fiat. Spero enim futuros qui perferant. Scribe, num vestes curaris faciendas; adde de morbo pedis, quem te imprimis curare velim. Vtere consilio medicorum et ne sis negligens in eo, quod ad valitudinem pertinet. Exquire ab aliquo librario, quot tomi impressi sint operum Lutheri, latini et germanici et quanti omnes veneant. Cupio editiones, ut quisque tomus editus est, cum inscriptione eius anni. Nam in primis quaternionibus impostura est, quibus fere omnibus iam impresserunt annum LI. Si potero, omnes una emam. Qua in re poteris mihi tuum quoque impertire consilium, si quid aliud lateat imposturae. Nam illam primam forte ipse deprehendi. Soror quoties ad me scribit, tui mentionem facit, ut valeas, quo pacto habeas: nosti, quantopere nos amet, leua illam molestia et scribe omnem statum tuum, atque etiam ad me ipsum. Germanicarum concionum, quas huius Urbis senatui D. Maior inscripsit, libellum vnum mitte: sunt de iustificatione fidei. *Ἀριθμολογίαν* Blasio inscriptam legi:¹⁾ bella opera est, utinam esset prolixior. Salutat te Georgius Trepta. Vale. Misenae ex ludo illustri M. D. LI. Georgius.

Andreae Fabricio opt. artium studioso, fratri suo. (Cod. ep. 30.)
29. Ian. 1552.] 14. S. D. Cariss. frater. Conditionem isthic oblatam necessariis de caussis nequeo suscipere: qua de re ad Magnificum D. Rectorem scribo, qui mihi iudicium sui senatus literis significauit.¹⁾ De pomis clariss. viro M. Erasmo,²⁾ hospiti tuo, comparandis sero nimis mones: emi Agricola³⁾ Octobri mense tonnam, ut vocant, duobus thaleris: tanta fuit in his locis raritas, sed alias Deo volente hoc sarciam. Velim me ipsi diligentissime excuses, quod non rescripserim, iam enim non licuit; similiter D. Caspari Molcae,⁴⁾ cuius adhuc picturas asseruo, cum certo homine missurus, cum primum potero. Mitto tibi florenos⁵⁾ duos, corium pileum. Terentium tibi misit Blasius; si potero huic nuncio imponere (nam nondum ad me venerat),

4) Melchior Fendius (1486—1564), post rectoratum Torguiniensem et Plauiniensem tum medicinae professor Vitenbergensis, compluribus rector. V. Adami Vit. Germ. med. p. 59 sq.

13. 1) Camerarii; V. ad 12, 3.

14. 1) Postquam Ioannes Marcellus, Regiomontanus (Francus), qui et philosophiam et ius et medicinam in academia Vitenbergensi docuerat (rector sem. aest. 1546) Fabriciique amicus fuerat 'suauissimus', d. 25. Dec. 1551 (1552 perperam Joecher Gel. Lex. III c. 141) mortuus est, Paulo Ebero, tum rectore, auctore senatus in eius locum G. F. vocauit. epistola, quam eum honorem recusauit, exstat in cod. Goth., unde eam post Schreberum excudit Baumgarten-Crusius (ad Meur. p. 125 sq.). scribit autem in ea (IV. Kal. Febr. a. 1552) ad Eberum praeter alia haec: 'Ab eo mihi tempore, quo iudicium de rebus aliquod facere potui, propositum fuit tale otium, quod nec mihi inhonestum nec infructuosum aliis foret, ad quod etiam mihi talem facultatem parare conatus sum, qualem et mediocritas ingenii et tenuitas mea passa fuit. Cum autem nihil uiderem, quod utilitates uberiores haberet quam uiam disciplinae et uirtutis monstrare multis, ad scholas ut sic dicam umbratiles me contuli. Nam et natura ipsa timidior sum quam ut lucem ferre ac sustinere multitudinis silentium queam: et iis etiam rebus minime instructus, quae et negotiorum magnitudini, de quibus scribis in literis tuis, ac opinioni ex nescio quibus iudiciis de me conceptis satis esse possit. Is praeterea nunc rerum mearum

status est, ut loci mutatio nouas mihi molestias et graues offensiones sit paritura. Quamobrem etsi uestram consuetudinem maximi faciam et societatibus omnibus anteposendam censeam: tamen quod et naturae ingeniique imbecillitas ac ipsa propemodum necessitas me hortantur, nisi et turpis et contumax esse uelim, sequendum est'. Cf. etiam ep. ad Meurer. p. 80. Ceterum eundem F. in locum Melanthonis mortui Caspare Peucero auctore frustra uocatum esse constat.

2) Reinholdo, uid. p. 2.

3) Georgius Agricola (n. 24. Mart. 1490 Glauchauiae, † 21. Nou. 1555 Chemniti) adolescens uiginti annorum scholae maguae Cygnaeensi rector extraordinarius per biennium praefuit, tum Lipsiae medicinae operam dedit, iter Italicum fecit, in ualle Ioachimica Boh. (Ioachimsthal) et medici artem exerceuit et in metallis mineralogiae scientiam auxit, ut pater mineralogiae etiam nunc habeatur. Ab Electore Mauricio salario auctus a. 1530 Chemniti migravit ibique per maximam uitae partem totus in litteris tractandis uersatus est, cum de uariis rebus, etiam de historicis, libros scriberet. Gumbel A. D. B. I p. 143—145. Inter Agr. et G. F. frequens consuetudo intercessit, ita ut hic non solum uiuentem illum in libris scribendis multum adiunaret sed etiam de eis, quos mortuus reliquerat, colligendis bene mereretur. Schreber p. 237—241. Epitaphium G. F. Poem. sacr. II p. 373.

4) mihi ignotus.

5) In mg.: 'corio inclusos'.

eum accipies, sin minus, alio mittam tempore. Vale, et proxime longiores expecta. Misenae III. Cal. Febr. M.D.LII. Georgius.

Nuncio dedi 2 gr. vt perferret.

Andreae Fabricio fratri suo carissimo. (Cod. ep. 49.)

15. S. D. Cotidie augentur mala in mundo, et nemo est qui non in suo vitae [18. Febr. 1552.] genere plurimas molestias sentiat. quare velim et te Frater in publicas calamitates intuentem, si quae priuatae sunt, tolerare, et solatia inde petere, unde sunt petenda, ex verbo videlicet filii Dei, quod te facere certo scio. Scripsit ad me nuper querelas suas Blasius, cui eadem, quae nunc tibi, subieci; de patrono suo,¹⁾ ne sumptibus grauetur, metum suum significat Iacobus. accesserunt eodem tempore literae tuae. Missurus tum eram ad Oporinum Libros duos Hymnorum, quos oblata occasione Vobis inscripsi, recensens ea quae hactenus Dei beneficio nobis contigerunt beneficia, vt et fidem et spem sciamus retinendam.²⁾ Nosti enim filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, promittere suis omnia bona, sed CVM AFFLICTIONE, vt nos ad inuocationem cotidie excitet et tandem etiam in liberatione aut mitigatione malorum suam caritatem et clementiam ostendat. Facies igitur in hac quoque re mi Andrea officium tuum. Si morbus pedum remisit, significa et Musicis exercitiis cum pueris tuis vttere frequentius ad leuationem laborum. Si pacem habebimus, visam te futura aestate, vel, si id non licet, tibi dierum aliquot vacationem impetrabo. Quae nuper misi, corium et pecuniam, si reddita sunt, significa. Susannam Crusii³⁾ nunc accipis. Hymnos de meditatione mortis Christi, vt D. Vuellerus⁴⁾ correxit, alias mittam, item secundi libri, quos D. Maiori reddidisti.⁵⁾ Quis M. Marcello⁶⁾ successerit, scribe: credo mea recusatione offensos aliquos fuisse, sed facere aliter non potui et onus, quod mihi imponebatur, neque viribus neque ingenio potuissem sustiner[e]. De prodigiis si intelliges Eberum editurum aliquid, signific[a]:⁷⁾ nam superioribus plura addam. Non procul hinc sunt milites ἀλόλαστος ὄχλος, vt Euripides⁸⁾ ait, et inter quos illi tantum κακοὶ οἱ μὴ τι δοῶντες κακόν. Deum rogo, vt tuam valetudinem et studia gubernet. Procurator scholae Grimmensis⁹⁾ heri est mortuus. XVI. Cal. Febr. Viennae mortuus Cochlaeus,¹⁰⁾ misera vt ferunt morte: implorauit in agone circumstantium auxilia, tumultus in aedibus fuit, vt omnes pene fugauerit, cum nemo appareret. Vale feliciter. Misenae in die Concordiae M.D.LII. Georgius Fabricius.

Petantii¹¹⁾ libellum cum literis redde Peucero.¹²⁾

Andreae Fabricio, fratri suo carissimo. (Cod. ep. 43.)

16. S. D. Si vales, valeo. Gratulor vobis, D. Philippum ad vos esse reuersum:¹⁾ [29. Mart. 1552.] Vides, frater, quae tempora sint, quam aduersae Musis? sed cum Germani principes sese opponant Hispanicae tyrannidi et pugnent, vt credo, οὐκ ἀνευθε θεοῦ, bene spero et confido Deum preces ecclesiae exaudirum. Scribe ad me, vt valeas, num qua re indigeas, quam spem habeas: si quid occurrit molestiae, perfer et te solare fructus futuros dulciores. Ora ardentem Deum mi Andrea, vt tueatur patriam et nos conseruet: in precibus et Deo spes nostra. Si Elegiae meae de partu monstroso exemplum habes vel plura, mitte, et alterius libelli, in quo Christus lachrymans primum editus.²⁾ Odae meae excusae sunt pulcherrime, sed vnum tantum

15. 1) uno ex Werteris, uid. ep. 18.

2) V. ad 8, 4.

3) V. ad ep. 3, 6. Etiam de aliis mulieribus veteris testamenti Crusius scripsit orationes, de Abigaila et Bethseba, de Rachaele, de Ruth, De Iuditha aliisque. Vid. Adami Vit. Germ. philos. p. 240.

4) Hieronymum Wellerum Fribergensem (n. 1499, 1535 Dr. theol., Luthero carissimum, 1539 ephorum Frib., † 1572), ut ait ipse, G. F. ut patrem, ipse vicissim ut filium semper dilexit laudatque mortui eius excellens ingenium, insignem pietatem, singularem modestiam, sobrietatem, diligentiam eximiam, flagrantissimum studium. Schreber p. 343 sqq.; epistulae eorum quae exstant ab eodem enumerantur p. 282 sq.

5) V. ad ep. 8, 4. — 6) V. ad ep. 14, 1.

7) V. ad Eber. (in ep. ad Meur. ap. Baumgarten-Cr.), p. 126.

8) Hecub. 607 sq.

9) Wolfgangus Drechslerus.

10) Ioannes Cochlaeus, acerrimus impugnator instaurationis ecclesiae, d. 10. Ian. 1552 Vratislaviae mortuus erat.

11) Felix Petantius, Hungarus Cancellarius Segniae scripserat 'Quibus itineribus Turchi sint aggrediendi' (Jöcher Gel.-Lex. III c. 1416), qui liber ab Oporino excusus erat.

12) Caspar Peucer, Budissinus (1525—1602), 1545 Magister nuncupatus in academia Vitenbergensi docere coeperat; ad G. F. ei Misniam aduenti a Melanphone d. 10. Mai. 1549 aditus patefactus (Corp. Ref. VII p. 403. cf. ep. nuncup. in 'Roma' p. 6 sq.) idemque anno inseq. ad nuptias Peuceri cum filia iuuuatus erat (Corp. Ref. IX p. 600. Flath p. 31).

16. 1) Norimberga, uid. ad 6, 1.

2) In mg.: 'Mittam Oporino qui a me petit.' fuit haec elegia Andreae.

habeo exemplar. Mirichio nuncia, vt circa Paschalis festum huc se conferat, nam erit ei ipsi ad nobilem eundum: non deerit illi studium meum. Sorori scripsi ad me vt veniret his nundinis nostris, idque spero eam facturam. Vale: in precibus meis cotidie mentio tui. Misenae IIII. Cal. April. M.D.LII. Georgius.

Bonarum artium studioso Andreae Fabricio fratri suo carissimo. (Cod. ep. 54.)

19. Apr. 1552.] 17. S.D. Nemo vnquam aut sibi aut aliis esse vtilis potuit, qui non exercitatus malo et (vt spiritus Dei loquitur) igne probatus fuit.¹⁾ Scribis intolerabiles esse erumnas tuas: vtrum animi an corporis? si qua in animo molestia, eam verbo Dei et exemplo opt. et vere erumnosi viri D. Philippi aut leua aut perfer; nam corpore te recte valere, Dei beneficio, ipse significas. Quod si quae difficultates sunt in munere tuo, vt aut temporis aut studiorum iactura facienda sit, id necesse est perferre, et mihi crede, cuicumque haec adolescenti contingunt, ad omnem vitam vtilis exercitationes virtutis et patientiae, eum et sibi et aliis prodesse in quocunque vitae genere. Puer nihil sensisti earum rerum, adolescens impatienter fers; sed nosti vitam hominis esse militiam, praesertim Christiani, ad hanc accinge te mature, vt stare in acie possis non contra fortunam, sed carnem tuam et Diabolum. Nec dubita Deum patrem nostrum clementiss. velle vti opera tua, etiam in ecclesia, quia te exercet; tales enim tirones amat, qui non statim abiiciunt clypeum, sed fide ipsi adhaerent et armis, quae in filio suo Domino nostro IESV CHRISTO tribuit, inuocatione et spe et patientia, ipsum quoque vincunt. Certissimum est omnia vitae genera iam esse plena molestiarum, sed nos augemus mala, quod non in consilium adhibeamus constantiam, sed ad desperationem simus propensiores. Sunt adolescentes multi, et ii eruditissimi, qui iam vagantur sine sede, stipendio, praesidiis: ex horum numero exemit te Deus, cuius ope et in Academia et in honesta familia aleris; si cum labore, recte et secundum Dei mandatum, qui laborem cum sudore praecepit. Intuere igitur non in te, sed in Deum, et praesta fortitudinem ingenuo et Christiano adolescente dignam, non imbecillitatem animi adhibe. Quod si facies, senties et consolationem et leuationem et eris in officio diligens, omnibus etiam rationibus tuis neglectis, donec Deus ipse, qui onus imposuit, id ipsum mitigabit. Fui prolixior Andrea et adiecissem tui confirmandi gratia etiam exemplum meum. Sed vt spero, breui te coram alloquar. De istis tumultibus si quid habes, ad me perscribe per M. Bartholomaeum,²⁾ et vale in Christo Iesu feliciter. Misenae tertio Paschali die M.D.LII. Georgius.

Andreae Fabricio fratri suo carissimo. (Cod. ep. 42.)

2. Iun. 1552.] 18. S.D. Nuncius Vuerterianus fecit, vt scriberem ad te breuius. Quia hospite antiquo priuatus es¹⁾ et iam tibi tuis sumptibus isthic viuendum, sic institue rationes tuas, vt habere commodam mensam queas. Rationem isthic viuendi tenes quam ego rectius: dabuntur tibi a me annui floreni viginti, quibus etiam stipendiati nonnulli vitam degunt. De vestibus credo tibi adhuc prospectum esse, et quia vixisti ibi iam annum, perspexisti credo, quomodo possis vitam et studia instituere. Accipies autem pecuniam vel tertio quoque mense vel sexto, vt placuerit vel commodum tibi erit. Incipit hic pestis in suburbiis grassari: si quid ibi periculi, ad sororem te confer, nam audio isthic adhuc tuta a lue omnia esse. Vehementer vereor huius ludi dissipationem. Mirichius tibi thalerum dabit. Maturius ad te scribere non potui, nec tu mihi aperte significasti aliquod consilium, quod iniisses ipse de ratione victus et studii. Etiam Iacobus aliquid sumtuum poscit, quos eius nomine iam quadriennium fecerunt Vuerteri.²⁾ Credo prius te literas accepisse aut breui Lipsia accepturum: nam literae apud D. Meurerum³⁾ depositae sunt. Vale, mi Andrea. Misenae IIII. Non. Iunii M.D.LII. Georgius Fabricius.

Andreae Fabricio bonis literis operam danti Vuitenbergae fratri suo carissimo. (Cod. ep. 55.)

17. 1) Sir. 2, 5. I Petr. 1, 7.

2) Clamorinum, uid. ad ep. 10, 1.

18. 1) V. s. p. 2.

2) Cf. ep. 15, 1.

3) Wolfgangus Meurer Altenbergensis (n. 13. Mai. 1513, † 6. Febr. 1585), intimus Fabricii amicus, ad quem earum quae extant et editae sunt (ex autographis a Baumgarten-Crusio 1845) epistularum, prima

est III Id. Nou. 1536 scripta. Fuit rector scholae Nicolaitanae Lipsiensis, tum in academiam transiit, ut philosophiam, artem physicam, medicam deinceps doceret, in Italiam iter fecit, ubi Wolffg. Werterum et G. F. comites nactus est, denique a. 1542 ab Electore Mauricio reuocatus Lipsiae professoris munus suscepit philosophiae et medicinae. Carmen nuptiale G. F. Poem. sacr. I p. 412 sq.

19. S. D. Ad literas tuas Northusiae scriptas respondere non potui, nam nec [3. Oct. 1552. tabellarii potestas fuit, nec ego uno in loco sum moratus. Misena ingrauescente peste, quae iam familiam Oeconomi¹⁾ attigerat, profectus sum XXIX. Iunii et, vt in vicinia essem, si Deus nos respiceret, me contuli Fribergam, ad hospitem nostrum et amicum, optimum virum Valentinum Grauium:²⁾ inde XVIII. Iulii literis ornatissimi viri D. Cummerstadii³⁾ vocatus sum Calcareutum, cuius filios in literis moribusque instituo. Morbus Misena ultra mille homines iam sustulit, amissimus Paulum Riuium⁴⁾ et Georgium Diaconum Ecclesiae nostrae cum tota familia.⁵⁾ Ludus totus dissipatus, Deum ora, vt nos recolligat, idque breui.⁶⁾ Absolui iam ruri Librum Victoriarum coelestium in quo continentur historiae, quibus Deus aut per Angelos mirifice aut per Heroas strenue aut per hostes ipse suos scelera potenter ultus est et ecclesiam defendit.⁷⁾ Scire cupio, quibus tu exercitiis sis deditus. Adolescentem tibi commissum, optimae indolis,⁸⁾ vt nuper Philippus scripsit missis simul ad me eius literis, ex animo ama et te ad illius captum atque ingenium humaniter beneuoleque accomoda et muneri tuo satisfacere plane stude. Magnum Dei beneficium est te iam sedem certam habere et in pii ac eruditi et sapientis viri familia versari, cuius mores atque sermones te instituere, si eos obserues, et ad maiora olim prodesse tibi possunt. A Iacobo nudius tertius literas accepi, cum quo bene agitur; Blasius, vt intelligo ex tuis, dupliciter orbus est; Anna soror aegrotauit et filio aucta est, cui nomen Gideon dedit. Ago gratias Deo, mi frater, pro beneficiis, et soror rogauit, vt id a te peterem nomine suo. Si sumptus desunt, vel ad vestes vel ad libros, a Iohanne Morticio Diacono Sangerhusano⁹⁾ nomine meo VI thaleros pete, quos illi mutuos dedi, et significa ei id mihi placere. Ornatissimum virum D. Michaellem Consulem¹⁰⁾ meis verbis amanter saluta. Parabimus aliquid, quo etiam illum ornemus aliquando ex Bibliotheca nostra. Vale mi frater et in tuis precibus mei sis memor: in primis ora hoc tempore, vt reddar scholae et muneri meo. Calcareuthi ad Rederam III. die Octobr. M.D.LII. Georgius Fabricius.

Andreae Fabricio Chemnicensi in domo D. Michaelis Meieri¹¹⁾ cos. Northusani, fratri suo carissimo. (Cod. ep. 52.)

20. S. D. Credo te a Morticio thaleros sex accepisse ad usus necessarios, quos [23. Dec. 1552. ita, vt debes, collocabis. Blasio donabo decem, totidem Iacobo. ternas ab ambobus literas, dum exulo, accepi, sed respondere nondum potui. Vellem ad me scriberes, de valetudine ac omni statu tuo et de patroni voluntate ac progressibus pueri. Te hortor mi Andrea, vt sis in tuo officio diligens idque exequaris studiose ac pie et ad pueri, qui tibi commissus est, captum accomodate. Nosti clementiam et mediocrem seueritatem adhibendam esse et seruiendum ingeniis, ut quibus rebus delectentur, modo honestis, in iis retineantur; quibus autem viciis dedita sunt, ea paulatim tollantur, non medicina acri, quam aetas tenera nequaquam fert, sed temperata, quae vt in corporibus ita etiam in animis valet. De studiis tuis adiunge aliquid,

19. 1) Ioa. Rossbachii.

2) Valentinus Grauius senator Fribergensis gymnasiique in ea urbe inspector, beneficus patronus cum multorum uirorum doctorum tum Fabriciorum, de quibus Georgius ei inscripsit iter Argentoratense et commentarios in Virgilium (15. Aug. 1547). V. Schreber p. 322—325. Carmen nuptiale G. Fabricii 'Valentino Grauii Senatori Fribergio et Helenae Vuelleræ' in carm. I (Poem. sacr. Ip. 410), Epitaphium Poem. s. II p. 368.

3) Georgius Commerstadius, natus d. 28. Mart. 1498 Misniae in domo patricia, a. 1538 ab imperatore Ferdinando nobilitatus, Electoribus Georgio Barbato, Henrico Pio, Mauricio, Augusto a consiliis intimis de scholis electoralibus instituendis optime meritis erat, ita tamen ut multa monasteriorum bona ad sua commoda interciperet. quod cum patefactum esset (uid. Müller II p. 174—220), G. F., iam antea ei offensus (ep. 26, 2), grauissima ira exarsit. V. ep. ad Meur. d. XXI Sept. 1551 (p. 104): 'Adempta omnis auctoritas Commerstadio est, qui sibi prospexit, pin-guis ut uitulus e rapinis scholasticis: qui cum nescio

quid religiosi moliretur, cogitationes eius malignas et consilium prauum dissipauit Deus'. Flathe p. 21 sq. 42 sqq. 445 sq. Mortuus est d. 26. Dec. 1559 Calcareuthi (quod bonum El. Mauricius ei donauerat, Kalkreuth an der Röder bei Grossenhain). — Filius eius natu maximus anno proximo (1553) in Afranam receptus est, Kreyssig p. 18.

4) Vid. ad ep. 21, 3.

5) Georgius Zausche, a. 1544 huc uocatus, Kreyssig Alb. p. 634.

6) Schola dissipata est XII Kal. Iul. a. 1552 (ad Meur. p. 83), denuo aperta m. Maio a. 1553. V. Schreber p. 135 sqq.

7) 'Victoriarum coelestium libri III' Kal. Dec. 1552 Ioanni Tetelbachio inscripti primum seorsum prodierunt, postea alteri Poematum sacrorum uol. inserti sunt. V. Müller II p. 22.

8) Michaellem Meienburgium, uid. s. p. 2.

9) V. ad ep. 3, 8.

10) V. s. p. 2.

11) Sic in fine uersus pro Meienburgi.

cum scribes. Mihi adhuc spes exigua reditus ostenditur. Riuius uxore, filio, nepte, tribus famulabus orbatus est:¹⁾ D. Tetelbachii²⁾ uxor morbo lethali laborauit, sed Dei beneficio et diligenti mariti cura reualuit. Ultra mille et sexcenti in non magno oppido sunt sublatis. Francofurdia amisit opt. et doctiss. virum Iod. Vuillichium.³⁾ Si scripturus es literas ad D. Philippum, mitte, inde ad me poterunt perferri. Eius iussu scripsi elegiam De natali Christi, quam fortasse edet.⁴⁾ Soror nostra filiolo Gedeone aucta est magno cum periculo valetudinis, sed Deus eam respexit, cui merito gratias agimus. Tu iam felix es, qui Bibliothecam tecum tuam habes, qua ego aegerrime careo, in solitudine praesertim. Patronum tuum, ornatiss. virum D. Michaëlem et tuum discipulum saluta nomine meo, ac vale feliciter. Ruri ad Rederam X. Cal. Ian. M. D. LII. Georgius Fabricius.

Andreae Fabricio, fratri suo carissimo Northusiae. (Cod. ep. 47.)

22. Ian. 1553.] 21. S. D. Literas a Iacobo ad te missas legi, quas ipse me legere voluit, addidi quoque carmina quaedam ab illo ad me missa. Natalem tuum probo, qui me valde delectauit. Has literas misi Steinum,¹⁾ unde tibi reddi posse existimo: priores Hanensi hypodidascalo²⁾ dedi, quas fortasse Sangerhusia accepisti. Sororis valetudo, quae in partu vehementer laborauit, confirmata est: nostrum est gratias agere Deo pro tantis tot et tam opportunis in nos beneficiis. Ioan. Riuius optimum virum Cal. Ian. nobis abstulerunt: obiit in villa suburbana ad Albim.³⁾ Fratribus quae pollicitus sum, iam misi. Te hortor, vt tuo in officio sis diligens et te ad ingenium pueri accommodes placabilitate, qua plus apud ingenuos efficitur, quam iracundia: et haec aetas opus habet aliqua indulgentia, modo ea nimia non sit et profusa. Deum oro, vt te et illius studia gubernet. Vale feliciter, et D. Michaëlem cos. ex me honorifice saluta. Ruri ad Rederam XI. Cal. Febr. M. D. LIII. Georgius Fabricius.

Iacobo Fabricio fratri suo carissimo (imo). Bey dem Burgemeister Hern Michael Meinburg zu Northausen. (Cod. ep. 65.)

3. Iun. 1553.] 22. S. D. Misi tibi nuper literas et duos thaleros per Iacobum Kernium,¹⁾ sed is in itinere Torgae obiit; adiunxeram quoque literas ad D. Philippum, sed eodem casu amissae. Scripsisti ternas ad sororem, quas legi cum dolore, et te oro vt videas, ne tua te imprudentia, vtat fraterno hoc est lenissimo verbo, inducat in malum. Qualis mea auctoritas in aula sit, alio tempore rescisces, vtinam non cum molestia tua. Petii a sorore, vt tecum agat, quod in rem tuam est, et Deum oro, vt nos omnes gubernet suo Spiritu; nam profecto consilia nostra nulla sunt. et tu habes exemplum in Blasio, quid illi profuerit praecipitatum consilium de mutato genere vitae. Meliora de te spero, qui me patientius audiuiisti, sed tuas literas cum illius confero, non modo iisdem sententiis sed pene verbis sunt contextae. Pessimum augurium: vtinam vanum! Nihil dicam contra te acerbè sed Deum orabo, vt recte prospiciat nostris studiis et faciat agnoscere sua dona. Habes autem viuam imaginem omnis pietatis, patientiae, virtutis

20. 1) V. ad ep. 21, 3.

2) Ioan. Tetelbach, n. 1517 Duenkelspieliae Suebus, post multos errores a. 1553 hic per biennium pastor fuit, cum F. arta familiaritate coniunctus (uid. ad ep. 19, 6); 1554 Chemnicium pastor et ephorus auocatus, a. 1566 ut Flacianus munere se abdicare coactus est; denique in Palatinatu pastor factus a. fere 1598 mortuus est. Kreyssig p. 632. Müller II p. 297—302. Bossert Mitteil. I 4 p. 34 sqq.

3) Iodocus Willichius, n. 1501, Reseliae, 1524 prof. linguae graecae, 1540 medicinae Francofurdi ad Viadrum, multa de philologia (maxime de scriptoribus latinis) scripsit, d. 12. Nou. 1552 Lebusii mortuus est. Epitaphium G. F. Poem. sacr. II p. 362.

4) Prodiit Vitenbergae a. 1553 separatim 'De natali Domini nostri cum tribus precationibus (6 fol.).

21. 1) Arx Witzlebiurum in Thuringia.

2) Blasius Fabr. 'iuuentutis studia sub illustri et generoso Hanensi Comite Busiuillerae rexit' Porta p. 6.

3) Iam. Riuius Attendorniensis. Guestfalus n. d. 1. Aug. 1500, Coloniae institutus, 1519 praeceptor

Cygnae, 1527 rector Annabergae, 1530 Marienbergae, 1536 Schneebergae, 1537 Fribergae itemque praeceptor Augusti principis, quem a. 1540 deposito rectoratu Lipsiam secutus est. unde cum Misniam se contulisset, Commerstadtio auctore, ut totius Saxoniae praeceptorum tum princeps, in condendis scholis electoralibus auctor grauissimus adhibitus et a. 1545 a Mauricio assessor consistorii eo anno instituti nuncupatus est. Audiuerant cum Annabergae et Fabricius et A. Siberus et Magdeburgus eidemque Fribergae eius collegae fuerunt, ex quibus Vulpio auocato illum elegit, qui scholae Afranae praesset. Flathe p. 22 sqq. Villa, in qua mortuus est cum Paulo filio 'optimo adulescente', uxore, nepte ex filia, famulabus tribus (ep. ad Meur. p. 84), supra nouum pontem fuit. Vitam eius ipse F. descripsit (edit. primum in edit. Basil. script. theol. Riuii 1562, tum post multos alios a Baumgarten-Crusio in progr. Misn. a. 1543).

22. 1) V. ep. 23 init. Kernii (Sigism. et Geo.) piscatores in ann. Misn. p. 220 nominantur, quod piscium genera ex Albi numerauerunt, quorum indicem G. F. ibi p. 220—225 subiungit.

D. Philippum,²⁾ cuius vita si te non instruit, si non oratio mouet, iudicium regit, frustra ego scribo. A sorore spero te duos thaleros accepisse. Noli tam prolixè scribere, plenus aegritudine cum ob alia quae inopinanti accidunt, tum ob discessum optimi viri D. Matthiae,³⁾ quo mihi in hac vrbe nihil accidit grauius, sed tam imbecilli animo fuit, vt non ausus sim illi aliquid significare. In illius caussa, quam egi fideliter, quid impetraverim, tu conice, cum videas illum abeuntem egenum, qui sex et viginti annos in nostra patria docuit pietatem et literas. Sed et haec Deo commendo ac committo, qui cum auctor, conseruator, rector, liberator sit vitae ac salutis nostrae, etiam alet tempore difficili ac calamitoso. Vale. Misenae ex ludo illustri III. Non. Iunii 1553. Georgius Fabricius.

Andreae Fabricio fratri suo. (Cod. ep. 64.)

23. S. D. Ad literas inclusas mihi respondebis diligenter. Mittit tibi D. Grauius [25. Aug. (1553). quatuor thaleros dono, cui gratias, vt debes, age et literas ad me mitte; quod reliquum est, id ego addidi. Per Kernium⁴⁾ miseram duos thaleros, quos perdidimus hominum perfidia. Ex mea bibliotheca quid ad te mittam, nescio: iis quos habeo libris, carere non possum, et sunt plurimi, quorum nullus tibi potest esse usus; a te vero sumam Apollonium⁵⁾ cum interprete ad tempus, donec perlegero, et rogo vt addas, quae a me excepisti de figuris Rhetoricis. redibunt ad te illi libri, vt primum mittere potero. Inclusas, cum certus homo erit, Northusam mitto. Terraemotum hic sensimus grauiter cum tali fremitu, quasi desuper caderet aliquid: nihil me magis terruit ex omnibus prodigiis, quamuis et puellam infantem in vtero materno plorauisse et mulierem sanguinem sudauisse in morbo sciamus: singuli videlicet anni noui aliquid prodigii attulerunt. Stratagematum Polyaeni libri VIII excusi sunt ab Oporino, versi a Iusto Vulteio,⁶⁾ quos si venales isthic inuenis, ad me mitte; quidquid exposueris, perscribe: id mittetur tibi. Blasius et Iacobus valent, quorum nuper literas ad me et ad sororem accepi. Sallustium Aldinum mitto et mea Epithalamia;⁷⁾ proximis nundinis Lipsensibus leges Victorias caelestes:⁸⁾ mitto earum ad te primum exemplum, adhuc confusum et non integrum, plures enim historias addidi. Vides autem quo auctore mea et auxi et confirmaui. Romam denuo emendatam misi ad Oporinum, id quod a me petiit. Antiquitatis monumenta dimidia parte auxi et vnum librum veterum Epitaphiorum carmine scriptorum addidi.⁹⁾ Silentium prolixitate, vt vides, penso. D. Cons. filium Michaëlem nomine meo saluta plurimum. Vale feliciter. Misenae VIII. Id. Sept. Historiolam marchionum Misenensium et Electorum Saxoniae et episcoporum huius oppidi misi ad II. Tomum Cosmographicum Henrico Petreio.¹⁰⁾ Georgius.

Andreae Fabricio fratri suo carissimo. (Cod. ep. 213.)

24. S. D. Ternas iam exaro, dum nuncium ad vos expecto; superiores quando [23. Sept. 1553. scriptae sint, ipse intelliges; optato autem se mihi obtulit isthuc iter facturus ciuis noster, quem nosti, cui literas ad D. Philippum dedi et commisi fasciculum. Scribe ad me cum potes, num omnes tomi Lutheri in Genesim sint excusi; tres priores vidi. Hymnos, quos ad

2) Melancthone tum hospite cum Michael Meien-
burgo utebatur.

3) Matthias Dabercusius Rhenanus n. a. fere 1508
(Dabringhusae), Riuisio commendatus et ab eo ut filii
loco habitus cum in Saxoniam secutus est adiunxitque
docentem Annaebergae, Marienbergae, Schneebergae;
tum a. 1537 Fribergae corrector, 1540 Schneebergae
rector factus est, unde a. 1543 in hanc scholam euo-
catus primum post rectorem locum obtinuit, arta
familiaritate cum P., etsi ipse non solum maior natu
erat sed etiam ipse Annaebergae cum instituerat, con-
sociatus. Cum aere alieno oppressus esset, Ioanne
Alberto duce Megalopyrgensi honorificentissime et
liberalissime imitante Suerinum migravit ibique
scholam principalem laete efflorescentem condidit et
d. 17. Febr. 1572 mortuus est. V. Müller II p. 174
—181. cf. Ep. ad Meur. p. 80.

23. 1) V. ep. 22 in.

2) Rhodium.

3) Prodicant a. 1549.

4) V. ep. 5, 4.

5) V. ep. 19, 6.

6) Librum secundum 'qui continet tumulos uet-
ustos'. sunt septuaginta epitaphia et unum. 'Antiqui-
tatis monumenta insignia, ex aere, marmoribus,
membranisque ueteribus collecta' primum a. 1549 ad
Ioa. Fichardum iurec. et recip. Francofurtensis aduo-
catum missa sunt.

7) D. 22. Mart. eius anni ad Meurerum (p. 83 sq.)
scripserat: 'Munsteri morte [23. Mai. 1552] doleo, et
ad eum scripseram iam literas et ei transmissurus
eram quaedam ad Historiam suam de patria nostra:
quod nunc praetermitto. nam secundum tomum Co-
smographicum in manibus habuit, qui tamen si editus
nondum est, hac aestate mittam ad Petreum'. Hinc
igitur 'Electorum Saxoniae et Marchionum Misniae
uitae, libri II' emanauerunt, quos a. 1569 Christiano
inscripsit. H. P. typographus celeberrimus Basileensis
(† 1579) multa opera Fabricii excudit.

D. Maiorem misi,¹⁾ vellem excusos esse, veterum praesertim, quibus aegre careo in schola mea. Hadriani Barlandi libellum, in quo explicat Adagia Virgiliana,²⁾ si inuenis, eme, aut si aliter nequis, ab aliquo mutuo sume: cognoscere ex eo aliqua cupio. Si quid noui isthic, significa: nos hic nihil scimus, de nouo in Saxonia proelio³⁾ nuper allatum est. Literas adiunctas Bibliopolae redde et cura vt prolixas a te accipiam. De honoribus tuis quid cogites et quo tempore, scire aueo. Vale feliciter et Michaëlem tuum saluta. IX. Cal. Octobr. MDLIII. Georgius.

Andreae Fabricio fratri suo. (Cod. ep. 69.)

1. Nou. 1553.] 25. S. D. Facile tibi veniam do Andrea et agnosco solitudinem meam de te, quam de vobis non possum abiicere. Itaque posthac, quidquid id fuit, e memoria sublatum esto. Soror hic mecum fuit cum filia et Ioanne filio vsque ad decimum diem, quae tuas auide expectat literas: si quid ad eam scripturus es, huc mitte. Accipis hic Victorias caelestes, singulis amicis singula offeres exempla. Rumores, vt audio, de me sparsi sunt me in aulam vocari, qui omnino sunt falsi; nihil enim vnquam nec cogitavi nec volui minus. Spartam habeo satis amplam, quae me cotidie docet multa: hanc si mediocriter ornaui, sum abunde felix. Addidissem ad has literas oratiunculam tuam, si fuisset homo certus; recte autem me admonuisti de ea mittenda, iampridem enim missam putabam. Ad honores tuos vellem aliquid latine componeres; tempus autem de iis, vt puto, mihi, etiam significabis vel consilium planius perscribes. Blasius¹⁾ vehementer a me contendit, ne libros Ethicos cuidam alteri tradat D. Philippus: id tu facile coram poteris impetrare; recudet enim eos, ni fallor, breui. Christum lacrymantem mitte et mea carmina quaecunque isthic excusa. Si auriga erit, aliquid eorum, quae petisti, ex mea Bibliotheca mittam. Henricus Petreius a me petiit, vt ex vetusto exemplari emendem Acronem Horatii interpretem:²⁾ si putas operae futurum pretium, D. Micaclo³⁾ patrono tuo inscribam, quamuis intra annum vix absoluero. Iuuares me multum, si isthic inuenires Horatium cum Acrone separatim impressum. Vale feliciter. Misenae e ludo illustri. MDLIII. Cal. Nouemb. Georgius Fabricius.

Andreae Fabricio fratri suo carissimo. (Cod. ep. 61.)

10. Nou. 1553.] 26. S. D. Die solis proximo incidi in grauiss. capitis dolorem, consecutum est frigus aliquot horarum, iterum calor, postea lassitudo omnium membrorum totius corporis; haec paulatim diminuta, leues calores, leuia frigora, grauedo ingens capitis: somni aut nulli aut profundissimi, visiones somniorum mirabiles. D. Chentmanus¹⁾ suo officio fungitur diligenter, vt me meo restituat officio. Haec nunc est ratio valetudinis meae, cotidie tamen accedit aliquid ad sanitatem. Causa fuit partim in humoribus superfluis, partim ex animo orta. Fuit hic D. Cummestadius, pridie quam in morbum inciderem, qui nostram scholam pluribus cantilenis voluit onerare et me principis auctoritate terruit, si parere nollem, bis ea verba repetens *Wolt yr nicht Fabrici, so euch m(ein) g(nädigster) H(err) befehl thut, so müßt yr.* Sed obtinui, ne quid de pristina ratione mutaretur (causis, quas nunc scribere nequeo) vsque ad nouam Ordinationem, quam de doctorum, vt aiebat, consensu est editurus princeps Elector.²⁾ Victorias meas tibi reddent cum literis ad D. Philippum, qui Dresda venient ad nuptias Koltshii.³⁾ Quaeritur

24. 1) V. ep. 8.

2) *Versuum ex bucolicis Virgilii prouerbialium collectanea et de laudibus Louanii.*

3) ad Brunsuigam 12. Sept., quo proelio Albertus Marchio iterum a Mauricii exercitu deuictus est.

25. 1) tum officinam Galonianam Argentorati instauraturus erat; uid. ep. ad Meurer. p. 98. *Ethicae doctrinae elementorum libri II Melanthonis primum a. 1550 Vitenbergae ex officina Ioannis Cratonis prodierant, tum a. 1554 denuo ibidem. Blasius tamen consilium suum non abiicit sed a. 1556 Ethicam ipse edidit, quam tamen editionem Mel. non curauit. Corp. Ref. XVI p. 14.*

2) *Opera Q. Horatii Flacci cum Helenii Acronis et Porphyrii commentariis illustrata, admixtis C. Aemilii, Iulii Modesti et Terentii Scauri annotatiun-*

culis' prodiit a. 1555 Basileae apud Henricum Petri (de quo uid. ad 23, 7). Codicibus mssptis usus est Wertheriano et Anhaltino Georgii principis.

3) Meienburgo.

26. 1) Ioan. Kentmann, primus medicus scholae Fabricique amicus; a. 1562 Torgauiam migravit ibique a. 1574 mortuus est. Kreyssig p. 635. G. F. carmen nuptiale in Poem. sacr. I p. 423 sq.

2) Cf. ad Meur. pr. Cal. Dec. 1553 (p. 95): *'Dici non potest quam doleam et publico nomine et eorum qui nobis sine causa aduersantur, qui Curios simulant, nosti caetera. Actum nuper mecum est, ut plus cantionum admitterem in scholam nostram, sed ne fieret obtinui: quamquam Portensis et Grimmensis mihi sunt proposita exempla.'*

3) mihi ignotus.

Iulio Commerstadio, Praeposito Misenensi,⁴⁾ paedagogus: si tibi offertur, recusa. Vale mi frater, plura non possum. Hac hora scribit soror se valere: Scribunt Iacobus et Blasius sibi bene esse. De Ethicis Blasii age cum D. Philippo,⁵⁾ scripsi nuper ad eum plane impolitas. Vale denuo X. Nou. M.D.LIII. Georgius.

Andreae Fabricio, fratri charissimo. (Cod. ep. 66.)

27. S. D. Pestis in Stiria, quae totam aestatem grauissime grassata est, tres [9. Dec. (1553). nepotes nobis sustulit, Francisci auunculi¹⁾ filios, Petrum, Paulum, Iacobum. Auunculus Melchior adhuc valet. Vxorem cum liberis Martini, Valeriano et Christophoro superstitionibus misit ad socerum proxime Istriam habitantem. Franciscus Chemnicii domum vendidit, sed pecunia soluta debitorum est: ego, vt sustentare se vteunque possit, quinquaginta aureos ei mutuos dedi, quos nuper per sororem misi. Affert D. Philippus²⁾ secum Graecum commentariolum Procli in quadripartitum Ptolomaei, quem imprimendum curaturus est, non enim extare scitur. Mitto ad te duos thaleros, vt habeas Cal. Ian. munusculum aliquod familiae, quod de more dari solet. Ad tuas respondi omnes et ad meas prox(im)as responsum expecto. Quae annotasti a me de figuris Rhetoricis, quaeso vt mittas: recipies ea, cum voles. Neminem amplius hic habeo, qui aliquid annotavit aut etiam illa descripserit. Appollonium si misisses, mihi fecisses gratum; quia fortasse eo eges, compara mihi exemplar proprium; si quid exposueris, mittam tibi cito. Si cistae D. Philippi capient, mittam tibi reliquam Ptolomaei partem: dabis autem ita illis studiis operam, vt vtiliora morum atque sermonis ne negligas. Epigramma elegantis(sim)um D. Philippi inclusi et Hodoeporicon Bouslai Hassenstenii³⁾ ei dedi. Vale feliciter. Misenae IX. Decemb. Martino Henrico⁴⁾ scripsissem, sed eius literas sero nimis accepi. Georgius.

Andreae Fabricio fratri suo carissimo. (Cod. ep. 24.)

28. S. D. Domini Philippi filio¹⁾ reliquam partem Ptolomaei dedi cum aliis [10. Dec. 1553. quibusdam libris Astrologicis.²⁾ Filiorum Cummerstadii³⁾ suo iudicio paedagogum te constituit Philippus, sed malo te esse in Academia, dum potes, et minime ex re tua est, id facere. Quamobrem oravi, vt alium tibi substitueret, quod et tu praesens facies. Accidit id praeter opinionem meam. Vale. X. Decemb. MDLIII. Georgius.

Andreae Fabricio fratri suo carissimo. (Cod. ep. 63.)

29. S. D. Valentinus Grauius de nobis bene mereri non desinit: is ad te xenium, [16. Ian. (1554) quinque thaleros, mittit, cui ages gratias diligenter. De honoribus tuis, de quibus saepius scripsisti, perscribe certam sententiam tuam; quantis ad eos sumptibus tibi opus sit, rationem ini et, si ita videbitur, ad proximum Examen te para, quod quo fieri tempore soleat, ego incertus sum. Si forte tibi ex Academia discedendum esset (multa enim possunt incidere), vellem te non neglexisse occasionem. Ioan. Tetelbachus heri hinc migravit in patriam nostram, ibi enim futurus pastor est.¹⁾ Te putabam in Turingiam profectum, vt scripseras. De Blasio et Iacobo si quid habes, significa: spero Iacobum ad aestatem proximam esse ad nos venturum. Vale, plura iam non potui. Misenae XVII. Cal. Febr. Georgius Fabricius.

Andreae Fabricio fratri suo carissimo. (Cod. ep. 48.)

30. S. D. Rescribe ad prox(im)as binas. de aduentu Maioris ad nos,¹⁾ si quid audis. [(in)it. a. 1554.) De voluntate tua de nouis honoribus, de tempore, de precio: vt tibi prospiciamus, quantum

4) Iulius de Commerstadt, maximus filius Georgii (uid. ad ep. 19, 3. ep. 28), receptus erat in scholam Afranam d. 25. Iul. 1553; † 1577. uid. Kreyssig Alb. p. 18. Val. Koenig Geneal. Adels-Hist. III p. 200 (apud quem solus est Iulius ex Commerstadtis).

5) V. 25, 1.

27. 1) Pisonis, matris Georgii fratris.

2) Melanthon tum apud Fabricium deuerterat; uid. ad ep. 12, 3. Ptol. Quadripartitum Mel. in pralectionibus saepe explicauit et cum uersione latina a. 1553 edidit, a. 1554 Procli paraphrasin primus typis mandauit.

3) B. Hassenstein a Lobkowicz, Bohemorum 'Vlysses et Plinius', uir litterarum studiosissimus, qui uersus latinos scripsit bibliothecamque amplissimam collegit.

'Seiner Bibliothek haben sich Lutherus, Melanchthon, Camerarius und andere Gelehrten fleissig bedienet' Jöcher Gel. Lex. II c. 1399.

4) Saganensis Afranus 1548–1553, postea (1573) Vitenbergae prof. philosophiae et deinceps theologiae; Kreyssig p. 11; Fabricii et nuptias (Epithal. p. 39) et mortem uersibus prosecutus est, Schreber p. 255. 347.

28. 1) item Philippo, quo uno filio pater tum utebatur, qui (a. 1525) postea notarius universitatis et secretarius consistorii factus admodum senex mortuus est.

2) V. ad ep. 27, 2.

3) V. ep. 26, 4.

29. 1) V. ad ep. 20, 2.

30. 1) cf. ad 8, 3 fin.

possumus. Appellationes auium, frumentorum etc. Eberi et Peuceri²⁾ ad me mitte, ac vale. Subito. De casu Suebi³⁾ nobilis totam causam. Georgius.

Andreae Fabricio fratri suo. (Cod. ep. 31.)

(in. a. 1554.)] **31.** S. D. De Mansueldensi conditione¹⁾ ignoro adhuc, quid facere debeas; si potes, honoribus prius consule.²⁾ Inuoca ante omnia Deum mi frater. De Michaële tuo³⁾ ex animo territus sum, sed quid facias? fer iudicium praeceptorum. Iacobus noster maiores sustinet pugnas; sed pugnam pugnamus pulcherr(im)am amore proximi et honestatis. Inuoca inquam Deum, qui tibi suggeret consilium et dabit bonum euentum. Vale. subito. Georgius.

Andreae Fabricio fratri suo carissimo. (Cod. ep. 59.)

14. Febr. 1554.] **32.** S. D. Deus faciat, vt Michaëlis negotium sine dedecore adolescentis et altiore vulnere patris placide componatur. Apollonium accepi et quae adiuncta erant. De honoribus tuis si sine aenigmate scripsisses et tempus significasses, adiuuisssem te potius, quam impedissem: quanquam si impedii, insciens feci. Quod igitur institui, id exequi perge et me tibi nulla re defuturum tibi certo persuade. Si se aliquae ostendunt angustiae, eas vince inuocatione et ita te para, tanquam certus de bonitate et auxilio diuino. Nosti enim, quam mirabiliter Misenam veneris et multo mirabilius Vuitebergam; et Deus tibi de amicis et patronis prospexit honestius atque vberius, quam ausi fuisssemus optare. Haec beneficia agnosce et cum gratiarum actione insta orationibus ac fungere diligenter ac modeste officio tuo. M. Nicolaum¹⁾ sine literis ad me non dimitte. Geneses nepotum non habeo descriptas iam. Soror proxima partui est, cuius salutem Deo diligenter commenda, vt diu possit praeesse tot paruulis liberis. Ioan. Tetelbachius pastor noster hinc discessit Chemnicium. Audio me rursum vocatum iri in Academiam vestram, nam tale quid inuit D. Peucerus: quanquam mihi integrum non est id facere. Monstrorum partum Radebergensem²⁾ Cyclopica forma ad D. Philippum mitto; si typographo daturus est, curabo ad nundinas huc nostras exemplaria aliquot afferenda. Chronicon Funcii³⁾ si vidisti, precium eius significa: intelligo tempora diligentissime notata esse. Vale feliciter. XVI. Cal. Martii MDLIII. Georgius.

Andreae Fabricio [fratri] suo carissimo. (Cod. ep. 91.)

30. Mai 1554.] **33.** S. D. Ex te scire cupio Andrea, quomodo tibi placeat conditio, quo salario doceas literas, quibuscum familiariter viuas, quot discipulos habeas, quo modo tibi cum aliis conueniat. Ioannes Mylius¹⁾ a Meurero florenos quinque accepit in nundinis, quos ego statim ei misi. Scripsit ad te nuper Iacobus plura. Velim mihi copiosas mittas. Scripsi Michaëli eos. sed meas non amice, vt audio, accepit: vel Lipsiae occupatus vel perturbatus fuit. Vale feliciter. Iacobus Vuitebergae est, et molestum ei fuit, quod nihil ex suppellectile reliqueris. Cum isthuc venies, amicis eum commendabis. Vale denuo. III. Cal. Iunii MDLIII. Georgius Fabricius.

Andreae Fabricio Northusani ludi magistro fratri suo. (Cod. ep. 80.)

2) Dicit 'Appellationes quadrupedum, insectorum, frugum, fructuum communium a P. Ebero et C. Peucero collectas'.

3) potest etiam legi Surbi uel Surci, res autem ad contentiones quasdam militum et adolescentium studiosorum d. 17. et 18. Dec. 1553 referri, de quibus monet edictum rectoris Viteb. d. 19. Dec. (Script. publice propos. Viteb. II F 3: 'Fuerunt in hoc oppido praesidia militum amplius septennio. Nullus tamen miles aduersus quenquam in oppido usus est tormentis, ut accidit intra biduum, et quidem petiti sunt et uulnerati globis nobiles docti, moderati, qui neminem irritauerunt. Fieri autem potest, ut alii inquieti irritauerint milites. Nam et hoc audimus, scholasticos quosdam uagari noctu terribili genere armorum instructos. Ideo seuerè praecipimus' et q. s.). — Ceterum interpunctionem non tetigimus ut epistolae subito scriptae, ne quid nostrae interpretationis immisceremus; posuimus autem eam hoc loco propter honorem (magistri artium liber.) commemorationem; uid. ep. 29. 30. 31 et supra p. 2.

31. 1) Mansueldensis condicionis nusquam mentionem repperi: an parum accurate (nam Northusana tum urbs imperialis erat) Georgius sic rectoratum Northusanum significauit? quem m. Aprilis a. 1554 Andreas suscepit.

2) V. ad ep. 30, 1.

3) De Michaelis Meienburgi facinore uid. ep. 32 in.

32. 1) Fort. Nicolaus Picus (Specht), Silesius, 1538 rector Budissinus, 1543 pastor Pribusiae, 1551 ephorus Chemnicii, 1553 oeconomus et pastor Portae, 1556 pastor et assessor consistorii Afrae; † 18. Sept. 1565; Kreyssig p. 632.

2) cf. ad Meurer. p. 98.

3) Ioannis Funcii (uid. ad ep. 99, 2) 'Chronologiae ab orbe condito' pars prior prodit a. 1545, alter 1552; de ea iudicat F. ad Meurer. p. 97: 'Iampridem ex te cognoscere uolui, num Funcii chronicon inspexeris, et tuum audire iudicium: commendari audio ob diligentissimam notationem temporum, et sine dubio ab Osiandro est collectum: qui quantumuis improbissimus, non inruditus tamen fuit'.

33. 1) mihi ignotus.

34. S. D. Peucerum in te ornando suum retinuisse iudicium¹⁾ vehementer laetor [15. Oct. 1554. et te honeste collocasse otium et tibi Frater et mihi gratulor. Muneris autem tui initia quam tibi fuerint difficilia, intellexi, sed spero tibi primum precibus, deinde usu non nihil mitigatas molestias; et mitigationem dabit filius Dei, qui te vocauit et cuius Ecclesiolae seruis. Collegae item tui, quorum mihi virtutem et doctrinam laudas et cum quibus coniuncte viuis, erunt tibi solatio. Ego certe quoties me meosque pueros Deo oratione mea commendo, toties pro te ac tuo etiam grege preces fundo, vt simus salutaria membra tum Ecclesiae tum Reip. Controversias inter Theologos²⁾ vellem sedatas esse, vellem etiam politicos nimis se non immiscere, in regenda Ecclesia. In constitutione autem concordiae primum curandum, vt sit pura et sincera doctrina, deinde disciplina sponte sequetur. Ea enim ratione sanctissimus Patriarcha Iacobus³⁾ instituit suos; primum enim ait *ἀγαπᾶτε τοὺς θεοὺς καὶ τοὺς ἄλλοις ὅμοιως*, vt cor sit ab idolatria vacuum; postea addit *καθαρίσθητε*, noluit enim sceleribus aut flagitiis corpus esse contaminatum; postremo ad ceremonias genti usitatas et Ecclesiae decoras conuertitur: *ἀλλάξαι τὰς στολὰς ὑμῶν*. Te autem spero in tuo munere esse diligentem et abhorrere a discordia; nam nouis opinionibus gignendis multi sibi gloriam quaerunt, vt Lauterwaldus⁴⁾ nunc facit in Pannonia. De salario tuo, de mensa scribes, cum otium erit, et minuta etiam adiunges. Quod cum Medico urbis vestrae⁵⁾ tibi optime conuenit, gaudeo; habet enim hoc illa professio proprium, vt delectetur elegantia literarum. Consul⁶⁾ quia nimis vehemens est, vt ex aliis audio, necesse est te aliquid illius auctoritatis et senectuti concedere: et decet nos adolescentiores haec modestia, et illa aetas placari alia ratione non potest, nec tantum peccant senes. Sed haec talibus in rebus nec prudentiam nec patientiam desideravi tuam. Haec fere fuerunt in literis tuis Vuitenbergae scriptis, ad quae respondendum putarem. Proximas accepi Lipsia, nimis breues, quae denuo docebant de controuersia recens orta. Faciat filius Dei, vt animis consentiant ii, ex quorum auctoritate vulgus pendet, ne sua petulantia excitent motus perniciosos Ecclesiae et Reip. Post natam Interimisticam hypocrisim⁷⁾ talia nunc portenta sequuntur, et quia Cyclopico more nunc miscentur omnia, vt nullius auctoritas firma satis sit, tales sequi tumultus necesse est. De sororis valitudine quod scire expetis, ea nunc cum liberis salua est. Valeo et ego et nunc cum Hippopotamo⁸⁾ sum in certamine, quamquam sine motu; si non alio modo huic prospicietur scholae, praesertim quod ad Oeconomiam, quacunque occasione oblata locum mutabo. Scripsit D. Philippus nescio an ad Principem an Consiliarios, et causam nostram se acturum fideliter promisit. id nunc expecto; si nihil valebit id, ipse causam scholae apud Principem agam. Blasius de sua valetudine ad me scripsit et de simili dissensione ministrorum cum Senatu; nisi enim pontificios ciuitate expellant, uno consensu omnes volunt discedere, excepto uno, qui manere cogitat, quoniam diues est. nam cum ibi sint Zuiglingiani, Suencueldiani,⁹⁾ Enthusiastae, quos appellant Geister, iis non possunt cum auctoritate resistere, nisi eiiciant omnis erroris ac superstitionis auctores, Papistas. Haec ad te ideo prolixius, vt tuas vicissim legam longiores. Vale. In Acrone emendando sumpsi magnam operam: cuius in Sermones commentarii plane erunt noui et copiosissimi, si cum prioribus conferantur. Denuo vale. E ludo illustri Misena. Idib. Octobris MDLIII. Georgius Fabricius.

Andreae Fabricio Chemnicensi opt[imarum artium] magistro, fratri suo [cariss]imo. Northusae. (Cod. ep. 77.)

34. 1) in Andrea magistro renuntiando. uid. s. p. 2.

2) De adiaphoris, synergia, Crypto-Caluinismo.

3) I Mos. 35, 2 ex uersione Septuag. (καταρτίσθητε Autogr.)

4) Matthias L. philologus et theologus, homo disputax, qui postquam Regiomonti cum Osiandro controuersias mouit, eiectus a. 1551 pastor Portae factus est, tum Eperiesii in Hungaria. A. D. B. XVIII p. 79 sq.

5) Dicere uidetur Conradum Ernestum, tum ciuitatis Northusanae Physicum (uid. 38, 11), qui a. 1580, cum quinquagensimum septimum aetatis annum ageret, mortuus est. Kindervater Nordhusa ill. p. 47 sq.

6) Mich. Meienburgus.

7) Interim Lipsiense a Melanthe conscriptum (Mai. 1549) grauissimas ei inimicitias uehementissimasque contentiones mouisse constat.

8) Georgio Commerstadtio, contra quem m. Martio eius anni de redditibus scholae interceptis ordines queri coeperant. Flathe p. 42 sqq.

9) mystici, quorum princeps fuit Casp. Schwenckfeldt Silesius (1490—1561), qui de patria profugus et a Luthero uehementer inuictus diu in Germania superiore, etiam Argentorali hominum animos excitauit.

5. Nou. 1554.] 35. S. D. Circa Northusam esse metalla aluminis, gypsi et aliorum fossilium audiui; Fuisse etiam aliquando auri metallum et nunc desertum esse. Emi etiam non procul ab Iluelda stimmi, haematiten, iaspidem e propriis venis. Hoc ut singula inuestiges et ad Agricolam nostrum scribas, mihi vero etiam particulas singulorum colligas, a te etiam atque etiam peto. Fontes Northusae, quibus vtantur, salubres esse duos: eorum nomina et loca adiunge. Reliquorum aquas vim lapidescentem habere, idque in coquendis pisis apparere maxime: eorundem appellationes et situs significa, aquarum similiter et fluminum praeterfluentium. Haec si alio tempore non potes, ad Cal. Ian. Lipsiam mitte. Agricola suos libros vno volumine curabit imprimendos.¹⁾ Erunt numero XXXV. Splendidum opus. De tua valetudine, studiis, successu non rogatus scribes. Vale feliciter. Non. Nouemb. MDLIII. Georgius Fabricius.

Exemplar literarum, quos ad Agricolam mittes, fac ut ipse accipiam.

Andreae Fabricio Chemnicensi bonarum artium professori Northusae, fratri suo carissimo. (Cod. ep. 79.)

5. Dec. 1554.] 36. S. D. Proxime misi literas ad Iacobum, quas tibi iam redditas opinor, inde quae te volo istic exquirere, intelliges. Cum affine¹⁾ de poculis nondum egi, sed faciam quam primum. Tibi istic bene esse et tua conditione acquiescere Deo gratias ago. Alio tempore plura tibi scribam, iam fuit opera danda D. Cingulario,²⁾ qui tibi caetera meo nomine exponet. Vale feliciter. Trepta³⁾ dabit tibi copiosas. pridie Nicolai MDLIII. Georgius.

Optimo fratri suo M. Andreae Fabricio, ludi moderatori Northusano. (Cod. ep. 72.)

7. Ian. 1554.] 37. S. D. Omnia nobis sunt communia, mi frater, patria, parentes, studia, labores, miseria, sed etiam illa maiora bona et diuina dona, consensus de merito Christi, inuocatio pro Ecclesia et scholis, expectatio liberationis e malis omnibus, nobis communia sunt. Dum igitur habemus Dei filium probantem nostras actiones seruientes honori eius et commodis proxim., defendentem etiam nostra corpora, famam, fortunas, simus contenti et feramus huius vitae molestias et difficultatem muneris et ad eum respiciamus cum alacritate. Iacobus voluit, ut has Sturmii epistolas ad te mitterem elegantes et acutas, ut illius viri sunt omnia. Quas tu illi, cum commodum erit, restitues. De valetudine eius aduersa Vuitenbergae scio, sed, ut spero, hac aestate liberabitur, imo ut confido; expertus enim et tu es bonitatem Dei, cum nihil nos tale cogitarem. Den EHR sorget fur vns. Quamobrem ad meas et Iacobi preces adiunge tuas. Nosti enim vocem filii Dei, Vbi tres fuerint congregati.¹⁾ Vocat eum in suam scholam Vuicelebius,²⁾ cupit paedagogum Ebelebius:³⁾ ego nihil statuere possum adhuc, hoc tamen mallet. Sororis filium Ioannem si ad te recipere potes, mihi placet: sed tamen adhuc, ut scis, admodum puer est, quamuis satis vigoris in eo. Vellem ad puerorum geneses ascripsisses aliquid iudicii tui. De fontibus libentissime legi et vellem me posse primum te et labores tuos inspicere, deinde etiam reliqua vrbis vestrae ornamenta. Tu non desine inuestigare omnia et annotare. Aquas singulorum fontium cura coquendas et quod in fundo residet, id gustatu deprehendes, num aluminosum, atramentosum aut sulfurosum sit. Exquire etiam effectus, si noti sunt, qui ostendant mixturam metallicam, an sint ferratae vel aeratae. Si qui plane insalubres sunt fontes et lethiferi, erit temperatura gypsea, quo genere lapidis tota Turingia abundat. Poëmata mea Christiana nondum coniuncta sunt uno libro neque excudentur intra anni spacium,

35. 1) Operum eius omnium prius uolumen prodit Basileae a. 1550, alterum post eius mortem a. 1558, A. D. Biogr. I p. 145; quam editionem tum parauit, non perfecit, uid. ep. 38.

36. 1) Trepta.

2) fort. Ioa. Cingularius 'Northusensis', qui d. 6. Apr. 1543 Vitenbergae intulatus est (Foerstermann p. 202).

3) Georgius, tum in ludo Afrano.

37. 1) Matth. XVIII 20.

2) Henricus de W. uid. ad ep. 1, 2. Iacobus primo noluit obsequi, tum Wicelebium insimulabat,

quod se frustraretur, ut tandem omnis res irrita esset (ex aliis epist. cod. Northus.).

3) Iacobus postea paedagogus septem Eblebiorum fuit, trium fratrum filiorum, etiam Misniae, ubi una cum eis habitauit (cod. Northus. ep. Iacobi 141, cf. infra ep. 38), postea quorundam Argentorati, quibus-cum etiam cetera uita coniunctus erat. Hic esse dictus uidetur Ioannes E. uir 'summa humanitate et uirtute' (ut ait Iacobus in ep. 45), cuius filium Albertum etiam in peregrinatione externa post studia Argentoratensia comitatus est, quem immatura morte abreptum esse conqueritur in epistula, qua Heroicon librum a Georgio scriptum ad Albertum E. Nicolai filium item alumnus quondam suum a. 1565 mittit.

et cogito, si valeo adhuc vnum atque alterum libellum addere.⁴⁾ Roma prox(im)is nundinis exhibit auctor, Interpretes Horatiani ad nundinas autumnales. Lucanum accepi, et habeo eius auctoris alia duo manuscripta. De poculo scripseram ad sororem, sed oblita fuerat et se excusat: mittam matris, vt et forma et pondere aequet tuum et caetera; et instabo vt faciat. Ammochryson prope Kelbram, non procul a vobis fodi Agricola audiuit et cupit etiam eam harenam sibi colligi. Tu, vt te antea rogavi, obserua fontium naturas et collige metallorum genera ac nomina, item terrarum et in his gypsi, et quaecunque tibi videbuntur nova. Trepta⁵⁾ ad te scribet de statu ludi. Accepit Franciscus auunculus a fratre Melchior literas mense superiore, qui adhuc valet cum coniuge et fratris filiis. Petrus, Paulus, Iacobus peste sunt mortui ante biennium: Melchior minor natu adhuc in viuis est.⁶⁾ pollicetur proxime literas prolixas. Blasius frater petit a nobis opem, quae illi praestanda videtur; sed quia negligentior est, quam par est, existimaui ita faciendum, vt de pecunia illa, quae tibi et Iacobo debetur, centum illi aurei numerentur, ad annos quinque sine vsura, vt post illos annos elapsos vel semel numeret vniuersam vel his quinque singulis nundinis aliquid restituat, interim nobis cautionem mittat, ne de sorte periclitemur. Idem scribam ad Iacobum. Spero autem vos probaturos consilium; nam et illum in officio retinebit, et vobis si vestra parte opus fuerit, consulatur etiam tuis et Iacobi rationibus. Quod autem te nunc moneo, id ego diligenter satis non feci, vt parcas quantum possis et sumptus non necessarios fugias: quanquam nec prodigum rerum nec temporis te noui. Consule autem boni hanc loquacem epistolam καὶ ἐν φόβῳ καὶ ῥόῳ⁷⁾ viue, coram Deo scilicet; in negotio tuo ac munere adhibe animum patientem et alacrem, consolare te ipso officio tuo, in quod te collocauit Deus, qui suam praesentiam nobis suis beneficiis testatus est, testatur, et testabitur. ὁ μῆγας, qui omnia nunc gubernat ἐν τέλει, qui mihi tuo nomine benigne pollicebatur, acerrimus meus hostis est, nulla de causa alia, nisi quod in nescio quibus cantilenis instituendis non parui eius voluntati, deinde quia ipsum meae conscientiae praeferre nolo.⁸⁾ Ora mecum cotidie, nam pro te facio idem, vt militemus militiam bonam, et vt e suis manibus ne patiatur nos rapi Iesus Christus, pastorstrarum animarum, neque a lupis neque a vulpibus et, quod deterrimum omnium sceleratorum genus est, ab hypocritis. Vale feliciter. Salutat te M. Laurentius Rulichius,⁹⁾ D. Hiobus¹⁰⁾ et Thomaeus.¹¹⁾ Vale. Misenae XI. die Ian. 1555. Georgius Fabricius.

Andreae Fabricio Chemnicensi, bo. artium magistro et ludi [North]usani rectori, fratri suo carissimo. (Cod. ep. 101.)

38. S. D. Dolor ex obitu virorum opt. Reinholdi et Grauii et ex casu Meienburgi¹⁾ [28. Oct. 1555. perceptus non te solum mi frater attingit, sed luctum etiam publicum secum trahit, propterea quod Academia celebris doctore eruditissimo, Respublica viris prudentissimis et liberalissimis tempore admodum difficili est orbata. Aemilii summa virtus et doctrina elegans et studium rerum absconditarum

4) Odas, hymnos, pacanes Angelicorum, Heroicon librum, Carmina, Militiam sacram, Victorias coelestes, amores filii Dei, Pietatem puerilem, Precationes, Tristitia a. 1567 cum inscriberet Poematum sacrorum Libri XXV mitteretque ad Augustum Electorem (apud Oporinum) duobus uoluminibus complexus est, magnam partem a. 1560, odas, hymnos, Pietatem puerilem a. 1552. Schreber p. 190 sqq. uid. ep. 38, 6.

5) Georgius, tum Afranus.

6) V. ep. 27 in.

7) ad Philipp. 2, 12.

8) V. ep. 26, 2 et ad 19, 2.

9) Iueterbocciensis, tum inspector scholae theologicae in curia Heynitziana a. 1553 inuito et Melanthe et Fabricio institutae (Mich. 1555 ordinibus postulantis Lipsiam reductae). uid. G. Fabr. Annales urbis Misnae p. 208. Flathe p. 39 sqq.

10) Hiobus Magdeburgus Annabergensis n. 1518 cum G. F. discipulus Riuii et Dabercusii, a. 1537 Fribergae sub Riuii hypodidascalus, a. 1543 in locum tertii collegae in Afranum uocatus per uiginti et septem annos id munus obtinuit cum F. intima ami-

citia coniunctus. propter Flacianismum tamen de eo cedere coactus Lubecam se contulit, ut lycei rectoratum susciperet, tum ab Ioanne Alberto duce Megalopolitano a. 1574 iussus filios instituit unumque ex eis Lipsiam comitatus est, unde a. 1592 Annaebergam reuersus et hic et Fribergae docendo uitam tolerauit et in hac urbe d. 20. Febr. 1594 mortuus est. Vir fuit et uaria doctrina instructus, cum de theologia et de philologia scriberet, et geometriae pingendique peritissimus, cum chartam Saxoniam imaginemque urbis Misnae pingeret, et tanta docendi laude insignis, ut in litterarum Misniacarum restitutoribus numeraretur. V. Müller II p. 205. 217. Flathe p. 23. 50 sq. 55. J. Franck, A. D. B. XX p. 51—53.

11) Peter Th. Senftenbergensis ex professura dialecticae Lipsiensis a. 1553 in correctoris Afrani locum uocatus (—1588). Kreyssig p. 620.

38. 1) Val. Grauius (uid. ad ep. 19, I) hoc anno mortuus est, Mich. Meienburg breui ante mortem (13. Nou. 1555) letali aliquo casu afflictus, cum quorum sorte Andreas Erasmi Reinholdi obitum (etsi iam 19. Febr. 1553 mortuus erat) ut tertii patroni coniunxisse uidetur.

mihi non sunt ignota:²⁾ eius tibi noticiam gratulor et, vt amicitiam cum eo initam confirmes literis etiam, suadeo. Metallica et fossilia quaecunque inuenis, collige et serua et cognosce et de fontibus inquire, quorum aquam si coques usque ad siccitatem vasis puri, ex eo, quod fundo adhaeret, gustatu deprehenditur, quid alumen, quid nitrum, quid gysum sapiat. Agricolae libros non editos mihi molestum est, qui auide eos expectaui; sed, vt puto, typographi non exeudent, nisi eisdem adiungat Commentarios, in quibus loca auctorum obscura explicabuntur.³⁾ quod an futurum sit, nescio; nam Agricola febri quartana vehementi laborat. Muneri tuo quod vires animi corporisque impendis, laudo fidem et fortitudinem tuam; quisquis enim (vt nuper cecini) negligit officium, negligit ille Deum. Aderit autem Deus tuis laboribus, vt sint salutare posteris. Ita autem statuas velim, te nihil facere posse rectius et tibi etiam aliquando iucundius; nam quamuis multis polluti maculis in tota vita sumus, tamen res est praeclarissima habere bonam conscientiam in officio et, si quid accidit aduersi, vere posse dicere nos vires omnes ingenii atque valetudinis impendisse honesto et Christiano muneri. Placuit igitur hoc mihi imprimis in literis tuis, quemadmodum proxime illud, te abesse ab omnibus imperitiis et turbulentis conditionibus. Habet enim hoc nostrum seculum multum arrogantiae, temeritatis, proteruitiae, modestia tamen praecipue ornat pium et eruditum hominem, nec caret veritate et constantia, vt stulti existimant. Ad lectionem veterum accuratam non est quod te adhorter prolixè, nam declaras voluntatem tuam; collige autem non tantum *ἐννομολογικά*, verumetiam *γεσικά* ex interpretibus: illa sunt venusta, haec necessaria, vtraque iucunda. De meis exercitationibus sic habe. Conficio nunc Tab. Grammaticas,⁴⁾ in quibus praecepta ab usu segregabo, idque methodo *διακρίνω*. quid igitur praecepta sine usu? praecepta dant artifices, vsum ostendunt auctores, et in vsu multae observationes sunt, quae sunt veluti accessiones et incrementa regularum. perueni autem vsque ad syntaxin, ad quam adiungam figuras. Vnum erit in mora, quod Antonius Vuerterus mihi Hermogenem extorsit, quamquam hoc a non nolente, inde enim aliquot figurarum nomina sunt petenda. Annotationes in Philippi dialecticam⁵⁾ dictaui, quod a me petierunt studiosi Lipsenses; eas aliquando Blasio edendas dabo. Priuatim recognosco odas, Hymnos (hi uno libro augebuntur), Victorias, quibus addetur liber sacrae militiae, cuius themata ex Genesi sumpta sunt omnia. huic addetur, si otium est, libellus precationum, cum quo coniungetur Pietas puerilis. Ad finem vnus aut alter Carminum epithalamiorum. Ita erit fortasse volumen librorum XII.⁶⁾ Horatiani interpretes editi, Roma aucta. Creuit etiam libellus de syllabarum quantitate parua sed aliquot vigiliarum appendice. Primo enim ponuntur praecepta, tum sequuntur observationes.⁷⁾ Haec de scholis meis, quibus exercebor per hanc hiemem, si valeo. Blasio misi L. florenos, alteros mercatu proximo, si scripserit interea: si aes alienum Cratonis⁸⁾ soluisset, facile constitueret rem domesticam. Iacobus hic mecum viuunt aliquantisper, paedagogus septem puerorum e nobili familia Ebelebiorum, quod vtrique nostrum optatissimum est.⁹⁾ Soror iam vicina partui valetudine imbecilla est: faciat Deus, vt sit incolumis, vt possit iuuare educationem tot bellissimorum puerorum. Ego cum omnibus meis discipulis migraui in nouam domum, in qua et musea et cubicula distinxi;

2) Georgius Aemilius (Oemler), cuius *Propempticon* Georgius ad Meur. p. 41 laudat, natus Mansfeldae a. 1517, affinis Lutheri, Ioa. Spangenbergii (uid. ad ep. 83, 3) in uersibus pangendis discipulus, tum (post a. 1553) Stollbergae ephorus generalis, † 1569; etiam rei botanicae scientia clarus fuit. A. D. B. I p. 127 sq.

3) Vid. ad 35, 1.

4) *Partitionum grammaticarum libri III* Basileae ap. Oporinum prodierunt (uid. Müller II p. 42 sq.), inscripti Ioanni et Hugoldo Schleinitziis, inspectoris scholae Ioannis filii. cf. ad Meur. p. 106. — *Hermogenis (Tarsensis) ars rhetorica maxime laudata* (τέχνη ῥητορικὴ) tum latine legebatur.

5) V. ad ep. 70, 5.

6) cf. ad ep. 37, 4 et 19, 6. — *Militiae sacrae Libri II* Ioanni Alberto inscripti primum a. 1557 prodierunt, tum inserti sunt alteri poematum sacrorum volumini, item *Precationum liber*, qui a. 1557 Christophoro Leuschnero inscriptus erat, et *Pietatis*

puerilis libri III, qui a. 1557 ad Wolf. Meurerum (I), a. 1552 ad Ioa. Tetelbachium (II), a. 1566 ad Ioa. Arnoldum eos. Chemn. missi sunt. V. Müller II p. 22 sqq. et supr. ad 5, 4.

7) Dicit *De ratione cognoscendarum syllabarum*, quae praecepta nunc primum librum rei poeticae (uid. ad 95, 2) obtinent, saepe multumque mutata, etiam separatim edita. extat in Phil. de Werteri bibl.

8) Prioris mariti uxoris Blasii; quam quidem uiduam a. 1550 in matrimonium duxit, dicitur Odilia Crato-Myliana.

9) Iacobus decreto Electoris Augusti d. XV Ian. 1556 Georgio, ut Genealogias Saxonicas conficeret etiam adiutor substitutus est *welche Ime im lesen und nachsuchen helfen, Auch wann es comöten die Jugent in vnser schuelen Instituiren Vnd das Ime hirkegen vor solche seine muhe Jerlich neben der Kost in gedachter vnser schulen fünfzig gulden zu besoldunge gerecht werden soll*. Müller II p. 370 sq. uid. ad ep. 37, 3.

splendide nunc habitamus, unius Dei beneficio, et coacti sunt aduersarii nobis cedere, potentes infirmis, lupi ouibus.¹⁰⁾ Scribe mihi quaeso explicationem mei Genethliaci; nosti enim me esse earum rerum rudem inopia eorum qui doceant. Fuit hic mecum Vuolfgangus Vuerterus, qui voluit, vt ad te literas sibi committerem, quod feci libenter; eius diem natalem subiiciam, tu, cum erit tempus ad ipsum excurrendi, diligenter expositam *γένηται* illi offer. Summa suauitas et iucunditas est in ipsius libero et liberali conuictu. Physicum vestrum¹¹⁾ amo vehementer, quia te amat, et cupio ei esse amicus, quamobrem plurimam ei meo nomine salutem. Ioan. Treptam si modestus et diligens est et saepe ad me scribet, proxime munusculo honorabo. Deo omnipotenti te tuamque scholam commendo cotidie, qui faciat, vt simus salutaria membra ecclesiae ipsius: Vale mi frater et scribe saepius. Misenae e ludo illustri V. Cal. Novembr. quo die hinc discessit Ioachim Hellerus mathematicus.¹²⁾ MDLV. Georgius.

Vuolfgangus Vuerterus nascitur in arce Viensi, MDXIX. die XVII. Iunii, hora sexta pomeridiana. qui dies insignis Volscorum et Aequorum clade, victorum a Posthumio consule, cuius collega T. Largius fuit: anno ab V. C. 253. post reges exactos IX.

[An]dreae Fabricio ludi Northusani [mag]istro fratri suo carissimo. (Cod. ep. 104.)

39. S.D. Si in natura nostra tantum esset lucis, quantum esse deberet, minus [I. Ian.] 1556. miseros nos putarem, quam putamus, sed naturam habemus, qualem peccata meruerunt, caecam, imbecillam, impuram. Lucis autem si quid inest, id totum a Deo proficiscitur, quae lux cum alitur fiducia in Deum, assidua inuocatione et exercitationibus animi, consumit illam infirmitatem a natura nobis ingentem et excitat nos ita, ut etiam feliciores simus, quam putamus. Non enim ex nobis nostra vita pendet, sed a Deo, sustinente illam sua bonitate et potentia. Fuit haec mea, tertium iam annum multo quam antea ardentior precatio, ut Deus longaeuitatem nostrae sorori daret ad educandos pie atque honeste tot liberos paruulos; difficillimos¹⁾ enim partus habuit, quales et mater ab eo die, quo Iacobus in lucem editus, cum parturiret ita, vt momentis omnibus per dies aliquot morti quam vitae esset vicinior. Has preces non vt ventum aut vmbram euanuisse scio. Deus enim orare iussit, verba orationis per filium in os imposuit, ipsa oratio motus spiritus sancti est, orantibus coelum, sinum, cor suum aperit, orantem nobiscum filium a dextra sua intuetur. Cur igitur non est exauditus? Quia meum non est praescribere Deo, sed ipsius voluntati parere, ipsi gratias agere. nam etiamsi eripuit nobis sororem, paruulis matrem, non igitur deseret orbos; nec querendum est ex hac miseria, his temporibus ereptam et collectam ad societatem aeternam. Peperit ipsa filiam XVII. Nouemb. mane paulo ante quintam, cui Sarae nomen inditum est, sed vno atque altero a partu die coepit laborare vehementer; de cuius aduersa valetudine et de Georgii Agricolae²⁾ morte nuncium accepi die XXI. vnus literis Tetelbachii, de sororis infirmitate acerbum, de interitu Agricolae tristem. XXVII. aliae aduolant de obitu Laurentii Liborii funarii, affinis nostri,³⁾ qui centesimum annum excesserat, patri nostro amicissimus erat. hic adolescens accusatus vt sacrilegus, decrepitus ut perduellio. vinctus in patria, vinctus abductus Dresdam: vtriusque criminis innocentissimus fuit. Cogitavi mecum: hic optimus senex, accusatus grauissime, vinctus turpissime, liberatus gloriose, pie atque tranquille mortuus, cui vita propter aduersarios infamia, propter aetatem onus fuit. Quid igitur magnopere expetenda vita est, cum integerrimus quisque tot sit iniuriis expositus? Et eiusmodi iniuriis, ut prae iis mors praemium esse videatur. XXIX. die vesperi hora sexta soror nostra victa morbi grauitate ad sanctas illas matronas migravit, quae toto pectore Deum coluerunt et aerumnas huius vitae in re familiari, in educatione liberorum sustinuerunt patientissime. Apposita ad latus matris est, ipso die Andreae apostoli.⁴⁾ Contionem habuit praeclaram Tetelbachius, multis collo-crymantibus, quibus nota ipsius pietas atque virtus fuit, quae fuit eximia ab ineunte ipsius aetate. Nam cum ante annos duos et viginti, quod meminisse potes, pater duabus filiabus

10) Schola theologica (uid. ad ep. 37, 5) Lipsiam translata discipuli Afrani cum rectore ex monasterio ruinoso (ad aulam q. n. d. oeconomicam) in curiam nouam Heinitzianam, quae antea illi concessa erat, migraverunt. uid. Flathe p. 101 sq.

11) fort. Conradum Ernestum, uid. ad 34, 5.

12) Leucopetracus, professor matheseos gymnasii

Aegidiani Norimbergensis, propter Flacianismum ex ea urbe expulsus.

39. 1) difficillimos Autogr.

2) 21. Nou. 1555.

3) aliis locis a F. non memorati.

4) d. 30. Nou.

una hora oculos clausisset, ipsa ab aegrotantis patris lecto auelli non potuit, sed ei sacros libros legit et quandam pii pastoris epistolam. Vixit cum matre sine contumacia, suorum omnium amantissima, praecipue matris, cui suo officio multas molestias leniit. Vidisti tu quoque in morbo matris, quae illius sedulitas fuerit, qua erepta ita domum gubernauit, ita liberos instituit, ut et prudens et fortis matrona omnibus iudicaretur. Marito etiam, quod Iohanni Friderico opt(im)o principi fauisset, vineto et in Dresdensen custodiam abducto quantis Deo suspiriis eius, liberorum, suam salutem commendauit, quam patiens in iniuria perferenda fuit? ut saepe miratus fuero eius fortitudinem. Tot casibus tota vita agitata iam voluntate Dei euocata est ad quietem et capit de suis miseriis gaudia. Nos, si pii essemus et firmiter crederemus promissionibus diuinis, laetari, non dolere, gratias agere, non queri deberemus. Non autem dubito, mi Andrea, quin sis ex animo gauisurus ipsius nomine, laturus patienter nostram et tuam vicem. Deus etiam, qui nos aluit, honorauit, seruauit, pupillos quoque sororis liberos respiciet, quos illi soror precibus ardentissimis commendauit et ipse commendare cotidie soleo. Officia etiam nostra illis non deerunt. A te autem peto, ut ad me saepe scribas. Vale. Cal. MDLVI. Georgius.

Andreae Fabricio ludi Northusani rectori, fratri carissimo. (Cod. ep. 112.)

12. Iun. 1556] 40. S. D. Quas XVI. die Martii commisisti cuidam Misenensi, eas non accepi; quas legatus vestrae Reip. attulit, legi, sed cum eo contrahere amicitiam absens non potui. Cui autem has dedi, patria Misenensis est, domo Mansueldius, vir honestus, qui tuam expetit amicitiam, ut solet eruditorum omnium, ipse parum eruditus, sed qui peregrinatus est in negotiis comitum cum iudicio. Hospitis tui filium commendavi praeceptoribus classicis, et Blasius id fideliter faciet praesens. D. Vuerterum¹⁾ exulare a suis praediis doleo; mihi persuadeo id singulari fato accidere et non dubito illi futurum locum honestum et amplum dignitatis, si quando Aristocratia plus valebit quam *κολακευτική*. Scholae tuae frequentiam crescere non miror; nam si diligens eris et munus tuum magni facies, non deerunt tibi discipuli. Sed necesse est te fortem esse, nam interdum a discipulis oriuntur molestiae, interdum a collegis, et expertus credo eris, quam oderit professionem nostram diabolus, auctor dissensionis inter Deum et hominem, corruptor doctrinae et veritatis, hostis aetatis tenerae, quam ut Christus Dei filius ad se duci iubet²⁾ atque amplectitur, ita ipse abstrahere conatur et perdit. Huic resiste, sicuti Apostolus docet, fortis in fide,³⁾ quae etiam excitat patientiam. Te videre et tecum colloqui cuperem; si Lipsiae conuenire possemus, esset commodum utrique. loquerer autem tecum suauius et certius, quam fieri per literas potest, praesertim de consilio D. Vuerteri et de illa pecunia, de qua mihi mouisti suspicionem, sed scies, quo tempore illam sis accepturus. In eo consilium Georgium mittendi Argentoratum, vocandi Ioannem tuum, substituendi Abrahamum;⁴⁾ sed tua etiam mihi sententia opus erit atque consensu. Iacobus nuper e graui febre liberatus est, qui morbus in extremo Maii est criticus. Tabulae meae Grammaticae propemodum erunt absolutae, tum aggrediar summo nisu Genealogiam Saxoniam, a D. Agricola relictam, quae tractatio, ut opinor, inter scholasticas occupationes, quibus cotidie magis obruo et implicor, mihi erit iucunda.⁵⁾ Pocula tua mihi perplacent, vnum tamen ruptum fuit; candelabrum, quod purissimum erat, abstulit quidam aulicus, qui principi obtulit. Carmen meum adiunxi; si quid habes precationum, omnes ad me mitte. Vale feliciter. Salutat te Iacobus et Georgius; salutamus Iohannem. Misenae XII. die Iunii MDLVI. Georgius.

Andreae Fabricio artium bonarum magistro et ludi Northusani moderatori, fratri suo carissimo. (Cod. ep. 111.)

40. 1) Wolfgangum, ut ex ep. 43 adparet. certiora tamen de eius exilio eruere non potui nisi hoc (apud Albinum Die Historie von dem Geschlecht von Werthern p. 50) Mauricio mortuo cum Augusti inclementiam propter ueteres quasdam contentiones semper expertum esse. cf. 41. 72.

2) Matth. 19, 14.

3) I Petr. 5, 9.

4) Treptas.

5) Et difficultate operis et fastidio quodam F. quominus id conficeret impeditus est, etsi saepe ad-

monitus ab Electore, qui illud munus Vdalrico Mordeisenio auctore ad eum detulerat (Flath p. 32. 433 sq.); post mortem a. 1597 Iacobus filius edidit 'Originum Saxoniarum libri VII auxitque a. 1606 duobus libris, quos e schedis patris adiecit, cum inscriberet 'Saxonia illustrata'. V. Schreber p. 156 sqq. Müller II p. 31 sqq. Epistolam G. F. ad Ioa. a Krockau Orig. libro VII adiectam (p. 885 ed. a. 1606) 31. Aug. 1556 'Origines Saxonicas iam in manus sumo' et q. s., epistolas G. F. ad Electorem a Flathio in progr. Afr. a. 1880 editas p. 2. 3. 4.

41. S. D. Quas misisti XX. Iunii, accepi. Vuerteri casum vel fortunam potius¹⁾ [9. Aug. (1556)]. doleo, et qui eum expellunt, patriae incommendant. ἐλλογὰς Virgilianas cum D. Sturmii scholis nondum vidi.²⁾ Libellum grammaticum remitto: praefatio auctoris ipsius non videtur, et reliquus labor perexiguus. Partitiones meas grammaticas absolui usque ad figuras συντακτικὰς; quas Blasio ad ver proximum mittam. De hospitio absens suadere tibi nihil possum. Si Lipsiam excurrere poteris ad nundinas futuras, ibi te conueniam, modo non impediatur valetudine. Quod scribis de solitudine domestica, vellem solus ne esses. Si tibi isthic conditio placet et si locus non displicet et mores hominum, delige tibi hospitam honestam, quae te curet, te delectet, tecum dormiat: ne tibi, vt scribis, secundum Plautinum illum male coenandum maleque cubandum sit.³⁾ De Romanis magistratibus tomum secundum non vidi. Iacobus et ego valemus, valet etiam Trepta.⁴⁾ Affinis bonam et commodam nactus uxorem est. Egit nobilitas, vt mihi augeatur stipendium; id eo credo faciunt, vt me hic retineant; audio autem additum iri centum florenos, Hiobo⁵⁾ collegae meo triginta. Cum primum diploma Principis accepero, faciam te certiore, vt mecum Deo gratias agas. Vale feliciter et quam primum rescribe. Petrus Steltznerus⁶⁾ ciuis Islebensis curabit literas ad me perferendas. Fuit hic Michaël Crelius,⁷⁾ venerandus senex et constans professor Christi. D. Matthiam⁸⁾ syndicum vestrum saluta nomine meo. Salutat te Iacobus et Georgius et collega meus vir optimus, D. Hiobus. Siberus⁹⁾ pro suis libellis a principe, cui dicauit, centum rhenanos accepit. Vale denuo. Misena e ludo illustri, IX Aug. Georgius Fabricius.

Andreae Fabricio, Che[mnicensi] bonarum artium mag. schola Northusana, [fratri] suo carissimo. (Cod. ep. 78.)

42. S. D. Optimo viro Iohanni Morticio totum meum animum de tuo negotio¹⁾ [4. Sept. 1556]. exposui; qui cum tibi faueat meque obseruet, rogaui eum pro mutua nostra erga ipsum caritate ac beneuolentia, vt tibi patris fratrisque loco sit, fecique ei potestatem meo nomine agendi, quidquid ipse viderit e re tua dignitateque fore. Tuas autem ad ipsum legi, quibus me caelari vis propositum tuum, quod tibi mi frater facere opus non fuisset; nam sicuti me vt praeceptorem olim veritus es, ita nunc vt fratrem amare nihilque caelare debes, in tali praesertim re atque causa, in qua si nihil aliud possem consilio vel opera, orare certe tecum possem et impetrare, quod secundum voluntatem Dei et ad nostram salutem poscimus atque flagitamus. Sit igitur faustum, salutare, felix quod agis, Deusque misericordiarum dominus, qui nos mirabiliter aluit, rexit, ornauit, adiungat tibi Angelum suum pronubum, quemadmodum sanctissimis illis adolescentibus Isaaco et Tobiae adiunxit, nobis etiam sine dubio adiuncturus est, quos suo spiritu sanctificat et ad propagationem Ecclesiae ac regni sui condidit, non minus atque illos, per quos iam laudamus Deum, viros sanctos et virorum sanctorum filios. Addidit autem Morticius noster aliud, te locum mutaturum, nisi succedet tibi ex sententia: in quo dicto requiro prudentiam tuam, nam hoc est Deo praescribere, cuius prouidentia tibi iam prospexit περὶ τῆς βοηθείας; eam tibi nemo eripiet. Quamuis autem non dubito Deum etiam in isto negotio egisse atque acturum secundum prophetarum dictum, Voluntatem timentium se faciet:²⁾ tamen nolim te vlla molestia affici, vel quod ego te moneam vel quod nolim ex officio tam sancto vllius fortunae casu aut aliqua animi impatientia te fugari. Sentit idem Morticius, qui haec tecum prolixius, sentit etiam Iacobus. Reliquum est mi frater, vt te hortemur, vt Deum in

41. 1) V. ad ep. 40, 1.

2) In P. Vergilii M. Bucolica Ioach. Camerarii post omnes omnium aliorum non contemnenda explicatio. H. Eobani Hessi indicationes et interpretationes locorum Theocriti. Ioann. Sturmii in priores tres Eclogas commentariolus. Argentorati, excudebat Blasius Fabricius Chemnicensis (1555). — Quem dicat libellum gram. nescio, ut et quem de Rom. magistratibus tomum secundum.

3) Asinar. 936 sq. (V 2, 86 sq.).

4) Georgius Fr., filius 'affinis'.

5) Magdeburgo. V. ep. 43, 5.

6) ceterum mihi ignotus.

7) Crellia familia fuit Misnensis (cf. Kreyssig p. 24. 46); unus ex ea filiam Dr. Georgii Maioris in

matrimonium duxit; quem F. dixerit, nescio. Lectio tamen alterius et tertiae litterae non omnino certa.

8) Matthias Luder (uel Luther, n. 1520, † 1572), filius consulis Northusani Ioannis L., amicus Melanthonis, tum secretarius (Unterschreiber) in patria sua erat; syndicus (Oberstadtschreiber) 13. Nou. 1558 factus est. Kindervater Nordhusa illustr. p. 150 sqq. Fürstmann Kl. Schr. I p. 46.

9) Adamus Siberus rector Grimmensis; quos libellos F. dixisset, e Schumacheri vita comperire non potui; misit carmina et ad Ioann. Albertum ducem Megalburgicum et ad Electorem Augustum.

42. 1) De nuptiis uid. s. p. 2. ep. 46.

2) Mich. 6, 9.

consilium adhibeas, de illo omnia speres, in ipsius voluntate acquiescas: nos ad cotidianas preces nostras pro te cotidie etiam addemus aliquid, vt tuam functionem et reliquas actiones omnes gubernet spiritu suo, vt simus et maneamus membra ipsius Ecclesiae et misericordiae vasa. Vale feliciter. Misenae e ludo illustri. IIII. die Sept. MDLVI. Georgius Fabricius.

Andreae Fabricio Chemnicensi [gu]bernanti studia literarum in oppido Northusa, fratri suo cariss(imo). (Cod. ep. 119.)

28. Sept. 1556.] 43. S. D. Literas tuas XXIII. Iunii datas XXIII. Sept. accepi: in quibus scribis de exilio nostri amici et de morte fratris eius, qui me rumor ingenti dolore affecit; sed recreatus sum, cum inspexi literas eius III. Cal. Augusti ad me scriptas, quae tuum nuncium refutant; tum ante quadriduum ab Antonio eius fratre alias accepi, ex quibus colligo, nisi intra mensem obierit, esse adhuc superstitem. Quamobrem si idem aliis enuntiasti, subiice iam meliora et te excusa. Volfgangus vbi nunc sit, ignoro.¹⁾ Genealogiam si habes, vt puto, reuolutionem huius anni mihi per otium describe; filiorum sororis a Peucero nondum recepi, et hic irascitur nonnihil mihi, quia intellexit cupere me inter D. Philippum et Illyricum iniri concordiam.²⁾ Georgium ante nundinas vernas Francofurtum mittere non potero; inde posset cum Blasio ascendere. sed animum Blasii ex literis cognoscam. Id cum fuerit factum, tum rationem inueniemus de adducendo Iohanne tuo et substituendo Abrahamo.³⁾ Lipsiam ad diem, quem praescripsisti, venire non potui nec nundinis hisce venire possum: ideo hunc nuncium misi. Si poculum gypseum miseris pulchrius caeteris, gratias tibi referam: vnum ex iis, quae miseras, fractum erat: candelabrum dabam Nontallero,⁴⁾ is Electoris vxori donauit. Venio nunc ad alias literas tuas, quas tu XXII. Augusti scripseras, ego easdem XXVII. Septemb. accepi, quarum causa hunc ad te nuncium iussi excurrere, quia dies colloqui a te constituta praeterierat, et aderant adhuc Lipsici, qui nostrum ludum inspexerunt. Quod me olim es reueritus vt praeceptorem, eius te nunquam paenitebit, nunc vero nihil caelare me debes vt fratrem, qui tibi etiam fraterne faueo. Quamobrem si quid meditatam aut etiam constitutum habes de mutando vitae genere, nulla in re tibi repugnabo, honesta praesertim atque diuina. Tu autem primum adhibebis in consilium Deum, deinde vteris iis mediis, quae tibi ipse suggeret et quae monstrabit mediocri prudentia. Scribe autem ad me animum tuum libere et minime perplexe et prolixo, vt epistola tua sit loco collocutionis sinceræ atque fraternæ. De Ernesti ciuis vestri⁵⁾ filio hoc possum respondere: locum illi iam non esse neque apud Hiobum,⁶⁾ qui suos nobiles dimittit omnes, neque apud Tomaeum, qui nobiles septemdecini habet cum paedagogis et famulis; tum impetranda erit in aula venia, si ad lectiones admitti vult. Si tamen res duci poterit vsque ad ver, fortasse occasio dabitur hospitii commodi. Pro victu numerant singuli grossos XII poto excepto; reliqui sumtus etiam parentibus faciendi. scholæ numerantur, hoc est mihi et collegis, floreni quatuor annuatim. A Blasio adhuc accepi nihil; si quid scribes scitu dignum, id cognosces. Sleidanus⁷⁾ meas accepit omnes. Commodum huc venit Iohannes Morticius, amicus noster, cum quo etiam tuo nomine loquar: potuisses facile cum ipso ad nos accedere, optima tibi data occasione. Verum vt omissis iis, quae fieri non potuere, finem faciam, hunc hominem ablegauit, vt tuam noscam sententiam de ratione totius vitae tuae et imprimis, si elegisti tibi piam atque honestam, cui dicas 'Tu mihi sola places'. Fortasse hoc ipso anno te consequar. Plura per Morticium significabo. De accessione ad stipendium meum⁸⁾ nondum impetravi *δίπλωμα*; in causa fuit principis absentia: tu Deum

43. 1) De Werteris scribit; uid. ad ep. 1, 3. 40, 1.

2) Matthias Flacius Illyricus (1520—1575) acer-
rimus seuerioris doctrinae Lutheranae propugnator
omissa professura Vitenbergensi tum Magdeburgo
propter Interim Lipsiense (Mai. 1549) uehementissimas
cum Melanthoni controuersias exercebat; quas ut
tollerent, cum multi amici tum G. F., ut res immoder-
atas et nimias fugere solebat, frustra operam dederunt;
nam conuentus Cosswigiensis irritus fuit. Peucerus
totus Melanthoni socero addictus erat.

3) Treptis.

4) Commemoratus a F. etiam in epist. ad M.
Petrum Glaserum eiusdem anni (ad Meur. p. 144) ut
artis peritus.

5) num Andreas, postea socer Andreae F., fuerit,
etsi ueri simile est, tamen pro certo sumi non potest,
quoniam complures Ernesti Northusae tum fuerunt.

6) Magdeburgum.

7) Cum Ioanne Sleidano (1506—1556), rerum
scriptore clarissimo, qui a. 1542 Argentorati ut inter-
pres et legatus foederis Smalcaldici sedem suam po-
suerat, G. F. ibi familiaritatem contraxerat et adsidue
colebat.

8) V. ep. 41. 55, 1. *Diploma d. 1. Febr. 1557*
extat apud Flathium p. 431 sq.: 'Dagegen soll oft
erwenter Georgius Fabricius schuldig und verpfligt
sein uns vor andern zu dienen und one sonderliche
ersach auss unsrer schulen sich nicht zu wenden'.

ora, vt victus adiciatur nobis, vtque simus vtilia ipsius ecclesiae membra. Pecuniam tuam ante vernas nundinas Lipsenses mittere ad te non potero, verum operam dabo, ad id tempus vt accipias vel paulo post. In Graecorum interpretum lectione quia versaris, a te peto, vt quidquid inuenies de figuris annotatum grammaticis, id omne annotes: difficillima⁹⁾ est earum distinctio et tractatio; sed conabor aliquid dicere, donec eruditior excitetur, qui totam illam materiam tractet copiose et perfecte. Caetera autem cum perscripseris, adde etiam de studiis tuis. Vale feliciter mi frater. Misenae e ludo illustri MDLVI. IIII. Cal. Octobris, quo die ante annos XII cum Vuerteris Philippo et Antonio iter sum ingressus Argentoratense. Georgius Fabricius.

Andreae Fabricio Chemnicensi, gubernanti studia literarum in Imperiali urbe Northusa, fratri suo carissimo. (Cod. ep. 114.)

44. S. D. Carissime frater. Miror te ad Morticianas nihil adhuc respondisse, [9. Nou. 1556. cum non desit facultas litteras mittendi Lipsiam. Cogito autem de tuo negotio cotidie et euentum audire cupio, qui qualiscunque sit, erit tibi salutaris. Nam si, quod nollem, Deus te meliori seruabit so ist der Jungfrauen nicht ein Sand vol, sondern ein laud vol. Sin vero concepto voto respondebit exitus, magis coles et amabis eam, quam pugnando consecutus es. Oro autem cum Iacobo nostro Deum, vt gubernet tua consilia et cogitationes teque firmet et fortitudine et patientia, ne in officio segnior fias, quod sustines docendo; nam tale aliquid loquantur litterae tuae. Respondebis autem ad alias quoque mearum epistolarum partes et poculum, cum erit commodum, curabis; si te quoque eiusmodi delectant, mittam ex ophite nostro etiam vnum. Vale feliciter. Salutat te D. Iobus¹⁾ et Georgius Trepta. Misenae die IX. Nouemb. MDLVI. Georgius Fabricius.

M. Andreae Fabricio scholae Northusanae Rectori, fratri suo carissimo. (Cod. ep. 109.)

45. S. D. Hae sunt ternae, quas post tuas mitto: post nuncium, quem ante [5. Dec. 1556. mercatum Lipsensem amandaueram, priores dedi Morticio, quas sine dubio accepisti, alteras nuncio cuidam vestro, Dresdam saepius cuncti. A te igitur peto, vt ad singularum capita respondeas. Scripsit ad me Michael Neander¹⁾ Cal. Octob., quas ego pridie Cal. Decemb. Lipsia accepi: is tuum reprehendit consilium, quod discessionem inde moliaris, et affert causas magnas, Deum tibi adesse in munere tuo, florere te gratia bonorum, tuos labores omnibus probari, propter tuam scholam frequentiores esse vicinas, in quibus suam quoque numerat; denique ita loquitur ac sentit, quasi tu sustineas dignitatem literarum ad illam partem Herciniaie. Haec mihi fuerunt grata, non solum propter te, verumetiam quod vir eruditus ac pius eadem mecum sentiret, tibi manendum in prouincia, in qua te Deus collocauit, ornat et ornabit. Sed sententiam meam et literis prioribus testatus sum et D. Morticio copiose exposui, nec tu reprehendes aut spernes iudicia nostra, si conscientiam consulueris. Quod si quid aduersi accidit in tuo proposito tibi, age mitte illam, quae te fortasse digna non est, et scito, quam Deus tuis thalamis prouidit, eam fore tuam, daturumque ipsum nec asperos animos nec superbos amicos. Cupimus autem ego et Iacobus audire, quid porro in illo negotio actum sit, cuius initia tam fuere graua, cupimus etiam tuum animum intelligere, quam fortiter feras, si quid praeter spem acciderit: quanquam ego inprimis bene speravi et spero. Ad D. Neandrum rescripsissem, sed certe otium nunc non fuit, quem tu saluta amanter nomine meo et am constanter, quia et laudis et nominis tui est studiosissimus. Iohannes Sleidanus pridie Cal. Nouemb. ex hac mortali vita migravit²⁾ ad filium Dei, quem fideliter professus est, hostis profecto omnis supersticionis atque mendacii acerrimus; amisi ego vnum ex optimis amicis,

9) difficillima Autogr.

44. 1) Magdeburgus.

45. 1) Michael Neander natus 1525 Soraviae a. 1542 Vitenbergam migravit, tum Northusae a. 1547 Collaborator, postea Conector factus, a. 1550 a Melantheone commendatus Ilfeldae praeceptoris locum, a. 1559 rectoris obtinuit, quem usque ad mortem d. 26. Apr. 1595 summa cum laude obtinuit, et pietate in deum et arte docendi et amore iuuentutis conspicuus, de qua etiam plurimis libris in eius usum scriptis bene meritus est. Cum Andrea et cum Georgio F. arta ami-

cilia coniunctus ipse quanta eos caritate amplexus sit, in dedicatione 'Theologiae Megalandri Lutheri' profitetur. Epistola G. Fabr. ad eum anni 1563 Chronicon 1586 f. 5. V. Förstemann Kl. Sehr. I p. 48 sqq. Baur in Schmidt Encyclop.² V p. 200—213. A. D. B. XXIII p. 341—345. Schreber p. 313 sqq. F. Meister Jahrb. Jahrb. CXXIV p. 180—186. 225—232. 309—315. 357—366. 390—400. CXXVI p. 188—196.

2) 31. Oct. 1556 Argentorati ex pestilentia.

magis uero Blasius noster. Videor mihi videre Sturmii lachrymas et totius scholae ac Reip. audire gemitum. Vale mi frater. Salutant te Iacobus et Trepta et D. Hiobus. Misenae Nonis Decemb. MDLVI. Georgius Fabricius.

Andrae Fabricio Chemnicensi, bonas [arte]s in schola Northusana profi[tenti], . . . fratri suo carissimo. (Cod. ep. 113.)

19. Ian. 1557.] 46. (S. D.) Institutum tuum ut tibi feliciter ac prospere succedat, [Deum] oro mi frater: optimum virum esse audio Ernestum¹⁾ [neque] dubito, quin bene educatos habeat liberos. Inuitabis ad gaudiorum tuorum inchoationem filium Dei, is addet tibi pronubum Angelum suum, ut Isaaco et Tobiae addidit. Quidquid autem statueris ex precibus ad Deum et ex animi tui sententia, quam spiritus precum gubernabit, id perpetuo tibi erit salutare. Adero tibi ipse quoque precibus meis, idem Iacobus facit. De hospitibus tui filia quae scribis, quia soror morbo laborat contagioso et ipsa puella iam anus fit: probo consilium et iudicium tuum. Sum ex animo sollicitus tua causa, sed quia non inuocare filium Dei, leuor molestia, et scio tibi eum nobisque adfuturum, quemadmodum orbis pupillisque iam ultra viginti annos adfuit, peste, bello, fame multis oppressis, quae nostram salutem fortunasque Dei beneficio non attigerunt. Pecunia, quae tibi debetur e bonis paternis, sunt floreni centum et quadraginta. Legatis eam non dedi, quia noluerunt me scire, se adesse: litteras tuas e hospitio missas accepi nomine nuncii, qui esset ex aula intra quadriduum reuersurus, et quamuis dare voluissem, praesentem non habui. Si perges in emenda domo, mittam centum, quo die volueris; si reliquam simul posces, sumam mutuum. Nam affinis²⁾ etiam proxime non pecuniam soluit, sed nescio quas nugas attulit, quibus mihi satisfieri sum passus et propemodum coactus. Sunt etiam tres floreni, quos faenore numerabit affinis, tibi debitos, et proximis nundinis alii tres numerabuntur. Calendis videlicet Maii, ad quas si expectare commode potes, quadraginta illos cum faenore mittam: sin minus, omnino mittetur integra, qui non cupio remorari commodum aliquod tuum. Ex litteris tuis intellexi habere te a senatu liberum hospitium, quo si proprio uti potes, quid obstat, quo minus aliquid ad tuum stipendiolum addatur, idque si humaniter ages, ab hominibus humanis facile, ut puto, impetrabis. Vuendelino hospiti tuo antiquo³⁾ libentissime inseruirem, quod ad filii promotionem attinet, sed res tota pendet ex aula; sed quia iam minuetur numerus puerorum propter reditus nobis ablatis, et noua, ut vocant, fundatio scribitur . . . lter impetrabit aliquid. Erunt posthac pueri XC e nobili . . . ciuibus qui id iure impetrarunt XXX. Ministrorum verbi XV. . . . nominabit sua liberalitate ipse princeps.⁴⁾ Poteris igitur amico tuo . . . significare et praecipue illud, quod ex exteris, hoc est in hac ditione non natis, admittetur nemo. De D. Philippi migratione nihil in hunc diem audieram. Epistolam amici nostri, vicini tui legi et doleo vicem eius ac fratrum,⁵⁾ sed iuuare ipsos nequeo meo aliquo beneficio. Franciscus Quaestor ipsorum ad me scripsit, ut pastorem aliquem mittam, sed non inuenio aptum et malle ipsos, si praesentes essent, iudicare, quam mihi hoc committere. Inopia nunc est etiam mediocrium hominum, et audio veterem nondum esse dimissum. Si tu consulere interea potes, ne intermittas et me, cum opus erit, excuses. Si putas consultum dimisso Georgio, Iohanpem⁶⁾ fratrem eius accersam, si corrigi posset ferocia et stulticia pueri, si degeneraret, nollem esse sororem superstitem. D. Neander et D. Morticium, viros optimos et doctissimos nomine meo amanter saluta. Neander si habet beneuolum patronum, locum ne mutet. Rara fides hodie, rara constans hominum beneuolentia. Vale feliciter. Misenae e ludo illustri die XIX. Ian. MDLVII. Georgius Fabricius. (Cod. ep. 125.)

4. Apr. (1557).] 47. S. P. Mirari satis non possum frater charissime, cur toto Februario et Martio nihil scripseris. Non enim puto puellam adhuc ad latus tibi assidere.²⁾ Oro autem te, ut de omnibus reb(us) tuis scribas prolixè et diligenter. Nuncium hunc Lipsia ad te amandauimus,

46. 1) V. p. 2.

2) Trepta.

3) mihi ignoto.

4) V. Flathe p. 88 sqq., 94. Huic calamitati eodem anno ita subuentum est, ut praeter beneficiarios uiceni pueri quindenos florenos soluerent ('Kostknaben'). V. ep. 52.

5) Werterorum, ut uidetur.

6) Treptam.

47. 1) Haec epistula praeter inscriptionem aliena manu exarata est.

2) Domicilium Andreas Ernestus pater tuus habebat Quedlinburgi; uid. s. p. 2.

vt certior fieres de eo negotio, quod nunc agitur. Adami Siberi collega secundo die Aprilis obiit, is qui tertium ab eo locum tenet:³⁾ ea conditio, quantum intellexi, tibi offeretur. Salarium est floreni centum, victus, hospitium in ludo, certus numerus lignorum, pannus in vestem et alia quaedam emolumenta, quae ipse nosti. Volui autem in tempore hoc ad te scribere, vt cogitares, quid facere posses. Mihi certe ea conditio rei tuae familiari, quam cogeris instituere, studiis tuis aptior et quietior videtur fore, quam ea, in qua nunc es. Erit etiam adempta tibi administrationis difficultas, quae alterius humeris incumbit. Id tamen consultissimum iudicabo, quod tu statueris e re tua maxime futurum. Facies igitur more tuo, Deum inuocabis et consules, vt geras ea, quae ipsi placeant et quae maxime sint ex usu proximi. Vellem ita tibi nunc assiderem, vt Vrsula tua assedit; multo enim plura tecum de tuis ornamentis et commodis loquerer. Haec autem quae nunc scribo, nemini patefacies, ne intimis quidem, te priuatim adhibe in consilium, ne, si aula mutet vela, quod nostris temporibus fit saepissime, tibi inutiatur cum detrimento pudor. Sin autem vel ab Adamo, communi amico et nostri omnium studiosiss(im)o, vel ab oeconomo, viro bono et mihi fauente,⁴⁾ literas accipies, vide ne sis imparatus ad respondendum. Mihi difficile est in comparatione conditionis vtriusque iudicare, quod tu et rectissime potes et facillime,⁵⁾ et facies felicissime, si successum a Deo petueris. De tuo socero optata audiui omnia, de sponsa tua pauca, quia tu nihil scribis. Sebastianus Starck⁶⁾ Greusena mihi scripsit et se de suspitione nescio qua excusat. Equidem illi faueo cum aliis de causis, tum etiam quod tibi vna cum D. Morticio consilium fidele importiit. Iacobo fuit oblata ea conditio, sed is peregrinari iam mauult, vt studia et mores multorum cognoscat: quae mihi res peropportuna videtur ad huius vitae iucunditatem. Cum hoc nuncio rescribe neque vlli alii quam mihi, quid sis factururus, communica. Northusani tui agrestes, si homines esse volunt et si te, vt scribis, amant, fortasse maiorem tibi honorem habebunt, si intelligent patriam quoque tui desiderio teneri. verum haec omnia tecta tacitaque vt sient secundum comicum,⁷⁾ diligenter cura et prouide. Summa huius epistolae est, quod etiam antea dixi, vt Deum inuoces, qui gubernabit mentem, voluntatem, facta, quod et ego facere soleo, cum, quid sit optimum et salutare mihi, ignoro. Salutem mea manu. Vale. IIII. die Aprilis, quo die, cum tibi hinc discedendum esset, aut certe huic proximo ipse Deus tibi prospexerat de hospite Witebergensi opt(im)o viro Erasmo Reinholdo, de quo beneficio, cum a matris morte atque funere huc rediremus, ne cogitaramus quidem. Vale denuo, et amicos omnes sponsam imprimis tuam saluta meo nomine. Angelos pronubos postea ad te mittemus. Vale. Georgius Fabricius.

Andreae Fabricio Chemnicensi bonarum [lit]erarum professori in imperiali urbe [Nort]husa, fratri suo carissimo. (Cod. ep. 144.)

48. S. D. De conditione Grimmensi antea certior factus es: iam quid Illustris [30. Apr. 1557. Dux Saxoniae mihi mandet, ex litteris ipsius ludi Oeconomo inscriptis aperte intelligis. Certum locum habes et quidem honorificum: salarium et commoda quae sint, Adamus Siberus te docebit, ex cuius litteris etiam ad me datis alia cognosces. Quid consilii ceperis, tuum erit cum hoc nuncio responsione non dubia significare, ne offendatur princeps, nobis tam benignus et clemens, et prae foribus nundinae sunt, quibus Lipsiam veniunt consiliarii, qui auctoritate sua te confirmabunt. Si accipere recusas, vide vt ita rescribas, vt et animus tuus erga principem obseruans et erga Adamum gratus appareat. Subiecerunt meum nomen principi, fortasse vt hac ratione viam intercluderent competitoribus, ne quis ignotus aut parum aptus aut superbus intruderetur. Mandatum caue ostendas publice, ne emanet ad Vuicelebium isque mihi propter Christophorum¹⁾

3) M. Georgius Froeschel. Lorenz. Ser. pracc. Grim. p. 21.

4) Blasio Peckenstein.

5) facillime Autogr.

6) Sebastianus Starck Misnensis, e gente nobili patricia, natus 28. Ian. 1508, Vitenbergae intitutus m. Maio 1543 (Förstemann p. 204), tum pastor Greusena in oppido Sondershusano, postea ephorus Mulhusae Thur. Vxorē habebat sororem Vrsulae Ernesti,

quam Andreas in matrimonium duxerat 'consiliis cum eo collatis' (Porta Gg. 5). Förstemann Kl. Schr. I p. 32. Carmen G. F. nuptiale in Poem. sac. I p. 443.

7) Terentium, Heeyr. 388 (III 3, 28).

48. 1) Schellenbergium, qui hanc conditionem Grimmensem ab Andrea spretam obtinuit, uid. ad ep. 54. 2. Henricus de W. Rosslebium cum uocare in animo habuisse uidetur.

irascatur. Nam commendatus est fratri ab Henrico Sbero,²⁾ non a me. Erunt autem tibi meae et Adami literae mandato Illustriss. Electoris loco Vocationis. Deo autem gratias ago per IESVM CHRISTVM filium suum, qui nos sua benignitate respicit atque ornat. Vale mi frater feliciter et Adamo, quae tua sit sententia, quia duci res non potest, celeriter atque plane rescribere.³⁾ Misenae pridie Cal. Maii. MDLVII. Georgius Fabricius.

Andreae Fabricio Chemnicensi gubernanti studia pietatis et litterarum in Imperiali urbe Northusa, fratri suo carissimo. (Cod. ep. 124.)

30. Apr. 1557.] 49. S. D. Diuinitus gubernari vitam, consilia et actiones hominum saepe animaduerti, sed nullo tempore magis quam paucorum mensium spacio. Nam postquam multorum hortatu et auctoritate in eam mentem veni, vt cogitarem de inuenienda vitae socia, statim ardentissime precari coepi, vt mihi Deus ostenderet, quam ipse mihi destinauisset. Nec defuerunt conditiones honorificae et vltra meas fortunas amplae, sed me istorum nihil plane mouit aut etiam amplius incendit. non dubitabam orans, sed tamen impediabar cogitationibus inanibus et variis, quibus Dei beneficio liberatus plane sum. Cum confirmassem animum meum, putavi in hoc vitae genere nihil spectandum aliud quam puellae pietatem, qua in re ita Deus mihi prospexit suo ductu, vt gratias agere neque sciam neque valeam. Post preces igitur assiduas et post deliberationem, quam cum nemine communicavi nisi cum Iacobo fratre, XII. die Aprilis cum patre virginis Iohanne Fausto¹⁾ Oecono nostro, viro pio et honesto, locutus sum et responsum postulavi vt daret altero die. quod cum faceret, statim etiam natu maximam filiam eius Magdalenam alloquor, si mecum viuere cuperet, orare vellet, pati posset, vt suam significaret verbis paucis voluntatem, quae Deo gratias agens de mandato patris acturam se ait, sed me auctorem suae vitae nominabat, addebat praeterea se in meo vultu Dei intueri beneficium. Elapsis diebus decem, quibus tacite explorabat suorum consilia pater, Iohannem Albinum²⁾ Theologum et Iohannem ab Embden Iure consultum³⁾ mitto de more, qui virginem petant et mihi intra dies octo renuncient, qui dies est hodiernus, sed responsum ducitur altero ex procis absente. Sponsalia fient postriduum aut quatrimum; nuptiarum tempus constitutum est ad III. Cal. Iunii, hoc est ad trigesimum diem Maii. Quamobrem mi frater Deo mecum gratias ages, qui me gubernauit suo spiritu, vt secundum mandatum eius agerem, quique mihi et piam et modestam et simplicem coniugem in sinum adduxit sua immensa clementia; ad eum quoque diem, si fieri villo modo potest, cum sponsa tua et optimo viro D. Ernesto socero tuo aduentabis, vt vnanimi ore atque pectore et nostras familias et incolumitatem Ecclesiae atque Reip. commendemus Deo aeterno, qui nos tantis beneficiis propter filium suum, Dn. N. Iesum Christum, affecit atque ornavit perditos et indignos. Nihil autem quidquam patiaris tibi obstare, quominus accedas, nisi te publicum aliquid impediatur; sed et eiusmodi impedimento potes ratione et consilio occurrere. A te peto, vt cum hoc nuncio, quem et mea de causa et propter tibi oblatam conditionem mitto, certa et clara omnia respondeas. Vale feliciter. Misenae pridie Cal. Maii. MDLVII. Georgius Fabricius.

M. Andreae Fabricio Chemnicensi, gubernanti studia pietatis et litterarum [in oppido Northusana, fratri [suo] carissimo. (Cod. ep. 127.)

2) H. Siber, de quo egregium Ioa. Sturmii testimonium etiam nunc extat, item ac frater poeta Latinus per totam vitam in instituendis nobilibus (Ebeleis), comitibus (Mansfeldensibus), ducibus (Iohanne Megalopolitano et Friderico Wilhelmo, Pro-Electore Saxoniae) uersatus est. Vid. Schumacher Vit. Ad. Siberi p. 16 sqq.

3) Recusauit Andreas 'quia Northusa primas ipsi functiones obtulisset et instarent iam nuptiae atque ex affinitate sperarentur iam meliora' (Porta Gg. 5).

49. 1) filius Henrici, qui Ridomago ad Rhenum huc migravit et cum consul esset, a. 1544 mortuus est, ipse senator et consul (Loose Mitteil. II 1 p. 41),

priusquam a. 1555 oeconomiam huius scholae suscepit, quam a. 1567 deposuit, † 1578. V. Müller II p. 153 sq.

2) J. A. (Weiss) Francus (n. 1498) cum in hac urbe pastor fuisset, post uarios casus et errores a. 1553 hic ephorus factus, † 1561. V. Kreyssig Alb. d. Geistl. p. 326.

3) V. G. Fabr. Rer. Misn. ad a. 1557 (p. 213): 'Ad iudicium Ecclesiasticum uocatus uir clarus et eminens D. Iohannes Embden uiri ornatiss. - Leuini Iurce. et cos. Magdeburgii filius, qui adhuc praestit cum auctoritate'. a. 1574 fuit Inspector nobilis huius scholae, Flathe p. 51 sq.

(Reliquae epistolae proximo anno programme edentur.)